



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv,
Ferdinandi S. Rom. Imp. Principis, Marchionis
Castilionensis F. Natu Maximi, Libri Tres**

Cepari, Virgilio

Coloniæ Agrippinæ, 1608

Liber Tertivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43934

DE VITA BEATI
ALOYSII GONZAGAE
LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

DE LITTERIS POST IPSIVS
mortem à compluribus scriptis.

Postquam ad meliorem vitam migravit B. Aloysius, multæ ad eius matrem Illustrissimam feminam litteræ datæ sunt, quæ declararent, quantam suæ sanctitatis opinionem in hominû animis moriens reliquisset. Ante alios P. Claudius Aquaviua Præpositus Generalis confirmat, eam deinceps caro & fidei patrono in coelis vsuram, ubi fides certa sit, felicem illum, & diuinitus fortunatum animum iam tum æterna felicitate perfrui, neque vnquam vel ipsi, vel religionis suæ socijs opem, & solatium afferre desitutum. P. Rector Collegij Romani certiore eam facit, Aloysium ad beatorem vitam non modo animo sed etiam ore totoque corpore tam quieto, atque composito euasisse, vt omnibus eius mortis, quæ vitæ sanctissimè actæ, omni que virtutum genere cumulata responderit, æmulandæ cœleste studium iniecerit. Ac proinde non

tam

tam ipsi, cæterisque de eadem familia de eius iactura dolendum esse, quam latandum, quod vnum sui sanguinis Diuorum numero transcripserint. Idem testimonium viri Illustrissimi suis epistolis tribuerunt. Atque in primis Hieronymus Roboreus Cardinalis Illustrissimus ad eandem Principem feminam ita scribit. *Proxima superiore feria quinta, vesperi euectus est ad fortunatiorem vitam noster bonus pater Aloysius, tantumque alijs sui desiderium, suaque egregia sanctimonia opinionem reliquit, vt Patres illi eius socij certo confisi in cœlum emicuisse, haud minus eius mortem admiratione, quam lachrymis sint prosecuti. Id adeo tibi solatio esse spem, ut afferre debet, acturum eum cum Deo de fratrum suorum concordia & incolumitate, prosperaque suorum fortuna. Iterum queso mœrorem deponas, quando iam in cœlesti aula filius tuus est, qui, vt spero, sua nos commendatione tuebitur. Eiusdem argumenti fuere litteræ Illustrissimi Cardinalis Scipionis Gonzage, quas ad Mantuanum Episcopum fratrem suum, atque ad Aloysij matrem dedit. In his nuntiat Aloysium iam beatius viuere cœpisse, eiusque exitum tam salubris exempli fuisse, vt gaudijs potius, quam lachrymis sit decorandus. Adhæc quanta huius ipsius Cardinalis fuerit de Aloysij sanctitate opinio, Clemens Octauus Pont. Max. luculentum testimonium dedit.*
Is enim nonis Sextil. anno M. DC. IV.
vltro

vltro cum Marchione Castilionensi, Ora-
 tore Casareo, in sermonem de eius laudi-
 bus ingressus, testatus est, Scipionem Gon-
 zagam sæpenumerò secum de huius adole-
 scentis eximia sanctitate verba fecisse, si-
 mulque passum esse vel aspectu eius animi
 sibi salutari dolore suffigi, & propter coele-
 stem quandam innocentiam, quam in eo
 cerneret, tanto pietatis motu affici, vt la-
 chrymis temperare non posset. Quin & i-
 pse Pontifex vbi hæc memorarat, aliq; in-
 super de eius sanctimonia vitæ, & miraculis
 acceperat, quasi lachrymans, vehementi se-
 su hæc locutus est. *Beatum illum, quem nunc e-
 quidem credo, immortalis apud superos gloria frui.
 sæpe mihi quidem venit in mentem mirari, quia
 è tantis periculis exire potuisses. at hic certe est,
 qui te seruauit, & familia sua pacem attulit. Ha-
 bes in cælo in cuius fida tutela sis, qui que omnè do-
 te noxam propulsabit. Neque verò aliud fuit
 clarissimæ & sanctissimæ femine Eleono-
 ræ Austriæ Archiducis, Mantuæ ducis iudi-
 cium, vt apparet ex eius epistola, quam hoc
 tempore ad Aloysij matrem dedit, quæ in
 hunc modum in eius vita typis excusa legi-
 tur. Cum mecum ipsa reputo, quam acerbum tibi
 dolorem, Illustrissima Domina, iacturam quam in
 filio tuo Patre Aloysio fecisti, inuississe oporteat, e-
 umque ex meo metior, quæ et si mater eius non fui,
 materno tamè eum amore semper sum complexa,
 facere non possum quin tu mihi ferar. neque verò*

tui solum, sed vniuersa etiam nostra domus, cui, si quidem humane conditionis rationem habeamus, nostrapte vi, sine diuina ope non possumus efficere, vt ne ingemiscamus. At si saniori mente cogitemus, fortunatum illum animum cœco hoc corporis velo conscisso, in æternum splendorem subuectum, ad plenum illum gloria exitum, ad quem, dum adhuc in hac referta miserijs valle decurreret, pleno gradu properabat, peruenisse, vbi è propinquiore, faciliore ei ad preces nostras benigno suo domino commendandas aditus est futurus, laudes scilicet, gratesquæ Deo agemus, quod ereptum è terrestri cœno, cœlesti Hierosolymitana ciuitate donarit: nostri verò commodi causa, leniemus mœrorem nostrum, quandoquidem ex homine mortali cœlestem angelum factum videmus. &c.

Ad hanc epistolam auctor illius vitæ hæc adiungit. Fuit, qui supra nominatus est, Aloysius Gonzaga, Ferdinandi Marchionis Castilionensis filius natus maximus, qui à primis cunabulis Angelicum in terris emulatus est viuendi genus. Marchionis titulo ac ditione fratri suo minori concessa, atque in Societatem Iesu ascriptus, cum annū ageret circiter quartum & vigesimum, viuendi finem impleuit. Cadit in illum, quod scripsit sapiēs, Consummatus in breui expleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius. propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum: Huius adolescentis cognita morte, Eleonora, tum alia multa in eius laudem dixit, tum illud crebrius vsurpauit: Erat adolescens sanctus, & sanctus obiit. Sunt qui prætere

refe-

referant, hoc amplius addidisse, hunc fore primū è Gonz garū stirpe, qui in Diuorū numerum referretur. Claudent hoc caput litteræ Thomę Mancini, V. Cl. qui quoniā præsens affuit, cūm Aloyſio iusta funebria persoluerentur, de nonnullis, quæ in iſe uenerunt singillatim testificatur. sic enim ait.

Illustrissima, & Excellentissima Domina. Etiamnum heredo miserèrne dolorem tuum, an tibi gratuler felicem, fortunati Patris Aloysij, ad melius vitæ genus abitum. Neq, enim satis dispicio, plusne ponderis apud maternum animum sit habiturum tuum ipsius dispendium, an præstantissimum & noberrimum filij tui lucrum. Equidem doleo, quod tam eminentis hominis aspectu orbatum sumus, quodque tibi Excellentissima Domina, in luctu versandum est, quo haud scio an alius grauior esse possit, quando in hac suprema valetudine, nullum eius vel semel extremum videndi momentum fuit. At ipsi sanè gratulor, quod præstantibus, dum viueret, sanctitatis officijs, cælum sit meritum, quod eum non tam iuisse, quam volasse, constat inter omnes, adeo præclarum de consummata sua virtute, Roma, vniuersoquæ orbi sensum reliquit. itaq, viginti trium annorum adolescens id assecutus est, quo, ne si ei quidem Noe ætas contigisset, sperare licuisset amplius. Feria quinta vespere altera noctis hora animum Deo reddidit, heri verò post meridiem in eade Collegij Societatis Iesu, cui ab Annunciatâ nomen, funeratus est, cui officio &

ipse interfui. Neque hoc præteribo, non modo apud illius Societatis Patres, eius reliquias magno in honore esse, verum etiam populum ipsum, qui affuit, vestem eius, venerationis causa conscidisse, neque vanus essem, si plus etiam adderem, de quo sperote ab alijs, ac fortè ab ipsis Patribus, qui rem melius exploratam habent, certiores factum iri. Nullum quidem eius miraculum proditur, siue quod nullum extet, siue quod etiamnum cæletur, cæteroqui publicè, perinde ac hominis sancti qui miraculis claruerit, celebris est eius veneratio. Atque hodie, qui est sabbatum, circiter horam alteram & vigesimam, mihi nunciatur, complures viros illustres, quippiam, quod in usu habuerit, exposcere. Hæ sunt adeò causæ, quæ incertum me faciunt, sitne de eius tali exitu dolendum. Est non nemo, qui iam vitam eius litteris prodere ingressus sit, & Cardinali, simul absoluta fuerit, eius exemplum promissum est. is vt nunciato eius excessu graui mœrore percussus est, ita illum, tanto eius audito honore, leuaui. Idem Cardinalis, quanquam gemina de causa, vehementer quippiam rerum huius fortunati Patris appetit. Illud etiam tibi narrare succurrit, quod Aloysius proxima superiore hebdomade, cum ipsum viseremus, suam mortem magna hilaritate prænuntiari, mihi quæ binas litteras dedit, quas octauo abhinc die istuc destinaui, rogans darem operam vti certò perferrentur. has siquidem fore postremas, quas tibi Excellentissima Domina, fratri quæ suo Marchioni scribe-

scriberet. Porrò hoc quicquid est sermonis, aliquid
quendi & consolandi tui amore, his litteris mandaui,
quo sanè solatio tantisper te sustenta, dum,
vt opto, alius quispiam vberius de omnibus ad te
perscribat. Interea tristitia, quaeso, modum fuge,
huicq; beato Patri, cuius nulla preces irritæ erunt,
pacem, & quietem excellentissimæ familiaritatis
commenda. Romæ X. Kalend. Quintil. Anno
M.D.XCI. Atque ex his litteris, quas adhuc attulimus,
procliuè est existimare, quanto iâ, cum abiret à vita,
sanctimonix nomine floruerit.

CAPVT SECVNDVM.

LVCVLENTVM TESTIMONI-
um, quod B. Aloysio, Robertus Bellar-
minus Cardinalis amplif-
simus dedit.

HOrum grauium hominum litteris,
quæ peruulgatæ de eius excellenti-
ori virtute famæ fidem faciunt, annectam
nunc Roberti Bellarmini Cardinalis am-
plissimi de interioribus eius virtutibus, to-
ties in hac historia laudatum à me testimo-
nium. Ille enim qui diu in Collegio Roma-
no huius Beati adolescentis conscientiam
gubernasset, compertum que haberet, qua-
tis mens eius dotibus fuisset ditata diuini-
tus, meo rogatu, sua ipse manu, quæcumque
de eo

de eo reminisci potuit, in hoc scriptum cōtulit, mihi que è domicilio, quod habebat in Palatio Vaticano, ad Romanam professorum domum transmisit. Ac licet vel simplex cuiusvis Cardinalis testificatio, quæ est eius dignitatis celsitudo, per se satis momenti, & fidei, vti Panormitanus, alijque Iurisperiti confirmant, in Romano foro habet; & verò mihi præter chirographum viri toto orbe doctrinæ præstantia, atque integritate vitæ clarissimi, nihil requirendum videbatur: veri tamen corroborendi, omnisque omnibus scrupuli euellendi causa, perfecit, vt ipse ille Cardinalis Illustrissimus, coram Notario Cameræ Apostolicæ illud profiteretur, & iuramento firmaret. Est autem ad verbum eiusmodi.

Admodum Reuerende Pater. Libenter equidem in eo omni, quod à me poposcisti tibi obsequaratus diuinæ gloriæ interesse, non ignorari quoniam ille dona suis famulis largiatur. Diu accepi confessiones dulcissimi, & sanctissimi fratris nostri Aloysij Gonzagæ, vnam etiam, qua vniuersam suam vitam complectebatur, & ipse mihi sacris operanti ministrabat. ac mecum versari, de quæ rebus diuinis colloqui gaudebat. Ex illis eius confessionibus, & consuetudine videor mihi hæc, quæ sequuntur, verissime asseuerare posse. Primum, nullum vnquam lethale peccatum admisisse. quod quidem de tota ætate ab anno septimo, certum habeo; de primis septem annis (quibus eam, quam postea,

C 6

Dei

Dei notitiam neque habuit, neque viuendo secutus est) coniectura id facile assequor. neque enim verisimile est aut tantilla etate puerum, aut tanta puritati designatum, lethali se labe maculasse. Secundum, eum ab anno etatis septimo, quo, ut ipse mihi aiebat, à mundo ad Deum sese conuerterat, vitam perfectam egisse. Tertium, nullum vnquam ad libidinem stimulum sensisse. Quartum, in oratione & contemplatione (in qua plerumq; genibus nixus, nusquam incumbens, versabatur) nullam ferè distractionem mentis esse passum. Quintum, obedientia, humilitatis, mortificationis, abstinentia, prudentia, pietatis, puritatis speculum fuisse. Vltimis suae vitæ diebus, ex obiecta sibi specie aeternae beatorum gloria, adeò immensa voluptate perfusus est, vt cum totam propè noctem in ea versatus esset, quartam hora partem tenuisse non putaret. Eodem tempore defuncto Patre Ludouico Corbinello, cum ex eo quasssem quid de eius anima sentiret, sanè perquam confidenter his verbis respondit. Purgatorium, nihil ibi moratus, transit. Ego, cui notum esset eius ingenium admodum consideratum in loquendo, rebusq; ambiguis affirmandis, certò mihi persuasi diuinitus cognouisse. abstinui tamen vltèrius progredi, ne vanæ gloriationis occasionem darem. Alia multa, quae possem dicere, praeter eo, quòd me satis singulorum meminisse posse diffido. Ad summam, equidem sentio rectè ad beatorum gloriam abiisse, semperq; religioni mihi fuit pro illius anima precari, veritus ne Dei gratia, quam in illa cognoui, iniuriam facerem. at contra nulla religione prohibitus sum, quin eius precia-

*precibus, in quibus multū cōfido, me commendarē.
Ora pro me R. P. Ex habitatione Palatina XVI.
Kalend. Nouemb. M. DC. I.*

T. R. P.

*Frater in Christo deditissimus
Robertus Cardinalis
Bellarminus.*

CAPVT TERTIVM.

*DE COMPLVRIBVS MIRACV-
lis, ac beneficijs, intercedentibus
B. Aloysij precibus conces-
sis diuinitus.*

Non fuit quidem mei consilij, cūm
animum ad hanc historiam scri-
bendam appuli, miracula, ac beneficia
pluribus locis, meritis & commendatione
Beati Aloysij, secundum eius mortem à
Deo præstita, sed præclarè tantum cum
sanctitate & virtute facta colligere, quæ,
Dei ope, nemini non imitari liceret. Ne-
que sanè ex miraculorum laude ad opini-
onem sanctitatis eius magna fiet accessio,
in eorū animis, quibus cum eo vsus, & con-
suetudo aliqua intercessit. Dona siquidem
illa cœlestia, quibus, dum viueret, orna-

Cc a

tus

tus est, ab hominibus intelligentibus & eruditius pluris, quam edendorum miraculorum facultas æstimantur. Id quod à sacerdote præstanti sapientia, qui lectis tabulis, & monumentis sanctitatis eius, rogatus erat à Superioribus, ut suam de ijs sententiam diceret, disertè his verbis scriptum est. *Sanctissimum sodalem hunc iudico, & qui in sanctorum numerum referatur dignissimum: nam ea muner à diuinitus illi concessa, maiora mihi videtur, quam si mortuos ad vitam reuocasset.* Ne tamen hoc etiam illi ornamentum defuisse videatur, persequar hoc capite eà Dei benefacta, & miracula, quæ post eius mortem, auctoritate publica, in tabulas relata, & idoneorum testium iureiurando corroborata reperi. nam quæ, dum viueret, facta narrantur, consultò reticebo.

Anno M. D. XCIII. cum Rudolpho Marchione, cui B. Aloysius sua ditio cesserat, Castelli Gotfridi extincto, oppidani, qui paulò ante in eius ditiohem hæreditate venerant, arma sumpsissent, ipsius Marchionis, & B. Aloysij matrem lectissimam feminam, tam seuis ex molestia, quam inde hauriebat animo, dolor perculit, ut in grauissimam ægritudinem caderet, quæ illam in paucis diebus in extremum vitæ discrimen adduxit. iamque cœlesti Viatico, & extrema Vnctione impertita, breui expiratura crede-

credebatur, cum ecce vigilans filium suum
B. Aloysium, immortali quodam apparatu,
& multa luce collustratum astantem ante
lectum videt, cuius presentia, & aspectu sic
recreata est, ut, cum antea, quod oppresso,
& exanimato corde esset, nullam lachrymam
posset effundere, delicias nunc suas intuen-
do permota, dulciter fleret, spemque in-
grederetur non valetudinis modo suæ re-
cuperandæ, sed etiam reflorescentem libe-
rorum suorum statum videndi. Postquam
Beatus abcessit ex oculis, præter opinio-
nem omnium conualescit, atque indies læ-
tioribus successibus crescentem Francisci
Marchionis, qui hodie rerum potitur, for-
tunam deinde spectavit. Itaque primum à
Beato post mortem editum miraculum,
eius in matrem pietatis officium fuit. Hoc
admirabile visum, cum mihi Castilione ip-
sa Marchio, & Brixie Laura Gonzaga Mar-
tinengæ Comes, narrauit, tum etiam postea
authenticis litteris consignatum est. Femi-
na nobilis, cum primis pia, cum parturiret,
acerbissimis oppressa doloribus, ac deinde
alijs atque alijs mortiferis cruciatibus con-
flictata, cum tandem ingentem sanguinis
vim profudisset, viribus deficientibus, sæ-
tum, qui iam extinctus in visceribus hære-
bat, nulla medicorum ope eviti poterat, iã-
que animi potius, quam corporis incolumi-

tati, consultum ibatur; quando puella, qua in eadem familia erat, pietati apprimè dedita, & quid apud Deū posset B. Aloyfius, non ignara, eius fidem implorat, & si nobilis femina imminentem capiti mortem euadat, votiuā tabellam delaturam se ad eius sepulchrū vouet. Voto suscepto, nobilis femina in lecto recūbens, nulla sua noxa, extinctam prolē edit, ac, dū hæc scribimus, sana etiānum viuit. Huic rei testandæ puella, quam dixi, pictā tabellā ad Beati sepulchrū attulit, quæ prima omnium illic suspensa est. Hæc omnia ab ipsa puella accepi, eorumq; in Placentino, alijq; monumētis fit mētio.

Antonius Vrbanus Senensis XVI. annorum adolescens, opificio sartor, perturbata capitis valetudine, ex continuo acriū, & prauorum humorū defluxu, vultu erat tumido, & vtroq; oculo tam imbecilli, vt neque auram, neque lucem ferre posset. Insuper & febris hominem lecto affligit, vbi cū amplius mensem continenter iacuisset, enatus est in sinistro oculo floccus albus, siue nubecula, aut vlcus gemmæ non ab simile, quod, cū pupillam insedisset, circum paulatim serpens, eam sic obtexit, vt erepta omni cernendi facultate, adolescentem planissimè excœcaret. & quòd noxius ille humor, tãto eius dolore labi pergebat, vt fremere assiduò & lamentari cogereetur, me-

tus

tus erat, ne & alteri oculo idem usu vegiret,
Tétavit Medicus semel, & iterū alia & alia
medicamēta dare. verū siue ægritudinis vi,
siue quòd adolescenti inopi ferius, neq; vt
res exigebat adhibita fuerant, pro leuamē-
to nocumētum attulere. eo comperto Me-
dicus, cū alia nonnulla remedia præcepif-
set, neq; tamen mos ei gestus esset, hominē
præterea adire desijt. itaque æger omni hu-
mana ope, & opera orbatus, lecto affixus ia-
ceret: floccus immobilis pupillæ incubare,
inflāmmatio & dolor vtriusque oculi in-
dies gliscere, tristis humor tantum abunda-
re, vt ab vtroq; oculo perpetuò destillaret
in ceruical. noctu verò vsq; eò oculos tenax
illa & viscosa materia cōplebat, vt ægrè ef-
fet manē euigilāti palpebras diuellere. Neq;
illū aut crisis vlla, aut exoneratio, aut exina-
nitio, aut sudor naturalis subleuabat. sed ni-
mirū spe omni valetudinis amissa, afficie-
batur indies grauius. Fortè euenit, vt pa-
truis eius arte figulus, cū in manibus pueri
cuiusdam imaginem B. Aloy sij expressā in
charta vidisset, quæisset que de suo sodali:
nossetne hunc beatū, cōplura eius miracula
ab eodē cognosceret, atq; ad hunc suū ægrū
nepotem voto illi obstringendū impelle-
retur. Cū id federet, mandat sorori suæ,
Beati imaginem à puero vtendam accipiat,
ad ægrum deferat, eumque, votum conci-

pere iubeat . Ibi mulier momentò pietate se aduersus Beatum inflammari sentit , certamque spem præcipit , ob eius merita , sanatum iri , idque sibi præsentire videbatur illa ipsa nocte futurum . Nacta imaginem , abiecta omni cunctatione , fero diei ægro affert , commemoratisque , quæ præstaret , miraculis , hortata vt votum illi faciat , discedit . Antonius pio animo imaginem cum accepisset , plenus vehementissimi aduersus beatum studij , & spei pristinæ sanitatis , in lecto se in genua subrigit , & imaginem manibus tenens , vouet , si eius commendatione intercedente visum recipiat , se in eius honorem quinquies orationem dominicam , & salutationem Angelicam recitaturum quotidie ; plurimumque eius apud Deum gratiæ confisus , tertium eadem imagine cæcum oculum in crucis modum signat , eamque ponè sibi ad caput collocat . Post vbi quinta noctis hora condormisset , visus est sibi secundum quietem ad pristinam valetudinem , atque adeò ad officinam suam redire . hora nona expergefactus à somno , cū oculos consueto dolore vacuos , perpurgatos , diremptis palpebris reperiret , suspicari cepit se consanuisse , certū tamen quod in tenebris esset , tā cito periculū facere nō potuit . Ergo patrum inclamans , prædicat credere se morbo liberatum esse . neque enim oculi

los amplius sibi dolere, & palpebris nullo negotio diductis, apertos esse. Vbi diluxit, Antonius simul lucem aspexit, Amitam, quæ fortè ad eum venerat, compellans: Video, inquit, amita mea, video. sanus sum. Hac voce illa, simulque eius frater acciti ad lectum, comperiunt, Antonij oculos puros, humoribusque pristinis, & inflammatione solutos; atque etiam floccum, qui prius pusillam occupabat, in sinistrum oculi latus auersum, iam extenuatum atque euanescentem (& postmodum prorsus euanuit) neque vllum aspiciendi impedimentum afferentem. De hac tam manifesta erga se voluntate, quam maximo licuit impetu euestigido Deo, ac Beato Aloysio gratulantur. adolescens, cui prius aëris & lucis aspectus impatibilem molestiam creabat, liber ac sanus lecto desilit, prodit in publicum, rei diuinæ gratijs Deo agendis interest, ac denique, ad ad sartrinam suam postliminiò se refert. Hoc miraculum auctoritate Archiepiscopi Senensis de more, auditis testibus, consignatum tabulis, & complures medici iureiurando testificati, non nisi diuina, & natura maiore vi persanari potuisse.

Nobilis Romanus homo pius, & doctus, quoties nitebatur genibus, incredibili renū dolore torquebatur, neque ius, quamuis maximo studio quæreret, remedium vllū

reperiebat. In ea infirmitate cum aliquan-
 diu fuisset, atque in Oratorio D. Marcelli
 precibus, quæ quadraginta horis celebra-
 tur, submissis genibus vacante idē cruciat⁹
 acerbius premeret, sensit intus animo suo
 subijci, vt à Beato Aloysio medicinam pos-
 ceret. ergo enixè precatus, vti pro se Deum
 deprecaretur, vouet, si his doloribus libe-
 retur, miraculi monumentum ad Beati se-
 pulchrum appensurum. Voto factō, extem-
 plō, magna eius voluptate, dolor omnis &
 molestia fugit. Verū, cū aliquot iam
 menses voto se exoluere cessaret, eodem
 malo tentatus, veritusque ne neglecti voti
 hæc ab se pœna expeteretur, idoneum
 tempus nactus, cum Romæ in Beati hono-
 rem festus dies ageretur, miraculum apud
 sepulchrum affigit, iterumque repen-
 tē dolore leuatur, neque post id loci,
 vt ipse mihi, alijsque ad amplificandam
 Beati gloriam, sæpè confirmavit, vn-
 quam præterea his molestijs vexatus
 est.

Lælius Guidiccionus Nobilis Lucensis
 Romæ in malignam febrim inciderat. co-
 mitabatur eam acerbissimus capitis dolor,
 perpetua infomnia, inquietas, languidi vena-
 rum pulsus, virium imbecillitas, luctuosa
 suspiria, & eximo corde eiecta, quod mil-
 le sibi acubus compunctum sentire vide-
 batur,

batur, adhæc exanthemata, quæ cum vix erupissent, introrsum regredi minari visa, auditus ex parte læsus, vox grauior, summa spirandi difficultas. quæ omnia cum adhibita intus, & extrinsecus remedia nihil lenirent, pro desperato habitus à Medicis, obita confessione, Eucharistiaque suscepta, ad mortem se accingit. Interea à nonnullis Societatis IESU Patribus inuisitur, qui commemorata Beati Aloysij sanctitate, & beneficijs, rebusque admirandis, quas, ipso conciliatore, præstaret Deus, partem aliquam reliquiarum se ad eum allaturos pollicentur. Ille pietate aduersus eum, & expectatione reliquiarum accensus, perinde de sua salute certò confidere cœpit, ac si Deum aliquo pignore obligatum teneret, ratus reliquijs ad collum suum adalligatis, sanum continuò futurum. Postera luce easdem ipse vltro denuò expetit. alatas eodem die propensa veneratione accipit, &, cum ijs ad se crucis notam expressisset, implorato quam maximo potuit affectu Beati patrocinio, sibi de ceruice suspendit. Ex tempore, malum sedatur. Medici vespere hominem leuatum reperiunt. accessio sæuissima, quæ ei vitam ereptura putabatur, deinceps ex toto destitit, cruciatus cessere, redijt quies, nocte somnum largiter

largiter

largiter cepit, postquam euigilauit liberum se, & lætum comperit. Medici proxima luce ad eum reuersi ne vestigium quidem febris in eo deprehendunt, neque quod maiorem admirabilitatem fecit, ex tam difficili morbo reliqui vel tantillum redijt. Res tota magistratus auctoritate, monumentis prodita, & in tabella depicta ad sepulchrum Beati proposita est.

Anno M. D. XCIX. cùm deuotæ Deo Virgines, quæ Florentiæ ad D. Mariæ, cui ab Angelis cognomentum est, degunt, vitâ Beati Aloysij, vt erat à me principio descripta, perlegissent, modicum quiddâ ex eius ossibus impetrarunt, quod etiamnum singulari pietate, & honore conseruant. Erat in eo Monasterio inter iuniores Virgines, quæ iam Deo consecratæ, arctiori quàm cæteræ disciplina tenentur, vna cui nomen Angela Catharina Carlinia, quæ quattuor ipsos annos graui totius sinistri lateris à vertice ad pedes, sed præcipuè humeri, & brachij dolore exercebatur. nimirum humor, siue destillatio illud oppresserat, à quo magnum aliquod malum, quale postea euenit, metuebat. Siquidem anno M. DC. mense Ianuario noctu, vehementi destillationis, & tussis impetu somno excita, sub sinistra mamilla, quasi graue quoddam onus, cum acerrimo dolore sibi incumbere, par-

partemque affectam quodammodo intus
 rodi sentit, cum eam manu tentasset, com-
 perit quiddam marmoris duritie, cui mag-
 nitudine, quod scilicet cancrū fuisse post-
 modum est cognitum. Aegrè, & dolenter
 ullam corporis partem mouebat, ingredie-
 batur, caput submittebat, sed nihil acerbius
 quam brachia attollere. Noctu in illud la-
 tus cubare nullo modo poterat, & si quā in
 id se dormiens conuertisset, dolore stimu-
 lata, continuò expergescit. Sæpe somnū
 ei nullum videre licebat, & inter capiendū
 cibum, tātā accipiebat molestiam, vt vix,
 quod necessitati satis esset, assumeret. Ni-
 hilominus, partim verecundia, partim stu-
 dio Dei causa aduersi aliquid patiēdi duos
 totos menses & semis hoc nouum malū o-
 mnibus occultum habuit. At vbi Beati Ig-
 natij exercitationibus, quas eius monasterij
 sacris Virginibus quotannis obire solemne
 est, erudiri cœpit, cū inter eas morbus
 aggrauesceret, religioni sibi duxit diutius
 eum obscurè ferre. Igitur rem aperit Marię
 Pacificę Toualię suę, cæteręque illius iu-
 uentutis moderatrici, quę re cum Euāge-
 lista Iucundia Virginum Maxima, & Ma-
 ria Magdalena Pazzia tirocinij Magistra
 communicata, vnā cum illis ægram inspi-
 cit, contactuque explorant omnes Cancrū
 esse, qui item haud ita multò ante, aliam
 quan-

quan-

quandam eiusdem cœnobij sacratam virginem sustulerat. Eius magistra naturalibus medicamentis diffusa, ad opem Dei exposcendam se conuertit, cumque interrogandum se sentiret instingui, vt in loco gratiæ à Beato Aloysio rem Deo commendari postularet, virginem vt idem faciat hortatur: insuper vbi intelligit multum ei in sanctitate Beati fiduciæ esse, tribus cõtinenter diebus, reliquijs illis, quarum mentionem feci, super illam, crucem designat. primaque vice dolor omnis, quo caro vrebatur extrinsecus, recessit, reliquijs morbi incommodis remanentibus. Igitur Medicorum potestati eam permittere, & solitis remedijs curare deliberant. Iam certum erat postera luce initium medicandi facere, quando virgo desiderio Iesu Christi gloriam Beati Aloysij honore amplificatam videndi inflammata, magno animi ardore se dat ad Beatum orandum, ne eum diem (erat is 6. Id. April. Sabbatum, vt vocant, in Albis) elabi lineret, quin hanc sibi gratiam gratificatus esset. nimirum vt salutem suam non hominum medicamentis, sed eius commendationi acceptam ferre posset. & postquam toto eo die in sacris suis meditationibus omnibus idem beneficium instantius flagitasset, tandem præcipiti iam die, solum Dei, & huius sancti eius famuli hono-

honorem spectans, in conclavi sine arbitris ad precandum se abijcit. Ibi dum suam illā obsecrationem iterat, inque ea tota hæret defixa, animum sibi fiducia, ceteraque spe obtinendi, quod optabat impleri sentit, & simul B. Aloysiū intus in animo his se verbis, alloquentem audit: *Pro fiducia, quæ tibi mei, patrocini quæ mei fuit, pro quæ ardenti desiderio, quo flagras, ut hominibus Deus gloriam, quæ mihi contulit patefaciat, visum est ei tui te voti compotem facere.* His dictis ingens partem affectam dolor, & dirissimus cruciatus adortur. quippe visum est ei iniecta in apertum pectus manu, magna vi cancerum, reliquūq; malum omne eximi. Hac acerbitate perfunctam omnis morbi molettia, ac non modo cancer, verum etiam tota illa lateris infirmitas, qua iam quartum annum detinebatur, ita deseruit, ut salua omninò & incolumis esset. Cæterum in ea incolumitate recipienda tanta vis doloris fuit, ut deficientibus viribus lapsa, & exanimata à cæteris virginibus reperta sit. itaque necessariò in lecto collocanda fuit. Inter ea ipsa submissa, ut poterat, voce identidem moderatricem suam appellare, & se iam perfanatam esse prædicare. Haud ita multò post confirmata, miraculum, remque omnem, ut gesta erat, exponit. Cæteræ virgines ubi ex toto sa-

to sa-

to sanam vident, Deo scilicet, ac Beato Aloyfio cuius pro ea preces intercessissent, exultantes gratias agunt. Ad retinendam tantibeneficij memoriã huius monasterij sacre virgines pridie eius diei, qui illi sacer est, quotannis ieiunium instituunt, ipsumque diem erecta arula, eiusque effigie, ac reliquijs cum supplicantium pompa circumlatis, festum agitant. Huius tanti miraculi fama totam Italiam implevit, & Mantuanus Dux de eo certior factus per litteras, inusitata hilaritate gestijt: Franciscus verò Marchio, qui hodieque eam dignitatem sustinet, homini suæ ditionis, qui primus huius miraculi nuntius fuit, ædes sanè per commodas Castilione donavit. De his omnibus auctoritate Archiepiscopi Florentini, exacto à sacris virginibus, quas nominavi, iureiurando, instrumentum confectum est, interposita etiam fide duorum medicorum. Alter eorum fuit Hieronymus Mercurialis præstantissimus Magni Hetruriæ Ducis Medicus, in principibus Italiæ Academijs magna cum laude professus, editisque in lucem ingenij sui monumentis celebris. Alter Andreas Torfius Medicus magni Florentiæ nominis: ij in hunc modum subscripsere.

Ego Hieronymus Mercurialis, cum huius Sacre Virginis morbum considerassem, in eam opinionem

veni

veni fuisse speciem cancri, qui ab Hippocrate V I. Aphorism. XXXVIII. occultus dicitur, neque unquam vel efficacissimis remedijs depelli potest. In horum fidem has mea manu scripsi.

Ego Andreas Torsius, quicquid supradictum est confirmo, atque sacram illam Virginem natura viribus non potuisse tam subito ad salutem perducere. quippe huius generis mala (si quidem vinci unquam possunt) non nisi longissimo tempore, & efficacissimis remedijs vincuntur. In quorum fidem hos verus mea manu scripsi. V. Non. Octob. M. DC.

Marcus Guffonius nobilis Venetus, Patavij in Societatem Iesu cooptatus, cum alterum iam annum tyrocinium poneret, anno M. DC. III. exeunte, in malignam febrem delapsus, non sine eruptionibus, in paucis diebus usque eò graviter affectus est, ut tumefacta lingua, ore materia putrida, ac densa referto, dehiscentibus dentibus, egrè hiare, vel fari posset: ad hoc & mente sepe numerò vacillabat. Morbo indies ingravescente sanitas eius desperatur à Medicis, ac vespere quodam, sacro viatico poltera luce instrui iubetur. Venit in mentem pluribus Patribus tum præsentibus, tum absentibus, non abs re fore, iubere eum, pro honore B. Aloysij votum aliquod concipere. atque exijs vnus, qui alibi degebat, Collegij Patavij Rectorem de hoc per litteras admonuit. alter verò, qui ibidem versabatur, cum circiter horam noctis quintam, coram nonnullis

D d

nullis

nullis Beati Aloyſij reliquijs proſtratus, De-
 um precaretur, impellitur diuinitus, vt de
 hoc eodem ad Rectorem referat, ſpe accen-
 ſus, ægrum diuina ope, ob huius ſancti ado-
 leſcentis merita, ad ſanitatē peruenturū.
 Eueſtigio intermiſſa oratione, Rectorem
 adit, quæ mens ſibi iniecta ſit, exponit: Re-
 ctor approbat, & reliquias, quæ penes Patrē
 illum erant, ſimulque negotium Miniſtro
 dat, vti poſtero die prima luce, ad ægrum,
 poſtquam ſalutare viaticum ſumpſerit, eas
 deferat, ac ſubinde, quippiam, quod ad ip-
 ſius amplificationem nominis faciat, vo-
 uere iubeat: at quia per id tempus necdum
 Beati ſepulchrum frequētabatur, neque eò
 peregrinari mos erat, poteſtatem faciat, vel
 ad Diuam virginem Lauretanam, vel, quò
 commodius fuerit, ſupplicatum profici-
 cendi. Miniſter minimè in poſterum di-
 em cunctatus, extemplò cum reliquijs
 ægri cubiculum accedit, atque ex Re-
 ctoris voluntate, conſilium exponit facien-
 di voti. Aeger acceptas reliquias in ſigni pi-
 etatis ſenſu, atque ardore osculatus, atque
 conſiſus hoc vnum ſuæ ægritudinis reme-
 dium fore, flagrantibus precibus Beatum
 inuocat, & votum vti conſulebatur, nuncupat.
 Nec mora. leuationem experitur
 tantoque ea nocte melius ei fit, vt medico-
 rum iudicio poſtridie periculo perfun-
 ctus,

Etus, viatici non indiguerit, sed pietatis tantum causa Eucharistia participatus sit. His de rebus omnibus coram Episcopo Patauino tabulæ scriptæ, & tabella beneficij testis, Romam ad Beati sepulchrum missa est.

Ioannes Iustinianus nobilis Genuensis, è Societate IESU, cùm ætatem ageret in Collegio Romano 3. Non. Iun. anno M.DC.V. oppressus est ingentibus dextrilateris renum doloribus. neque diu post omnes vrinæ exitus obstructi. Medicorum collegium cogitur. Complura illi remedia præcipiunt, medicamēta non vnus generis per os ingerēda, fomenta, vnguenta, balneas calenti oleo tēperatas, mane, & vesperi vectionem curulem, aliaque tum purgātia, tum lenientia. Quæ omnia cum nihil adiuuarent, iamque decem continuos dies nihil vrinæ reddidisset, de vita periclitari cœpit, & Medicus præbendi ei sacrosancti Viatici auctor fuit. Exeunte die, qui morbi erat decimus, animus ei ad conciliandam sibi Beati ALOYSII opem rapitur, at quoniam pedibus nequibat insistere, inter duorum manus in ædem sacram ad Beati tumulum se deferri iubet. Ibi submissis genibus, multa, humo figens oscula, cum nonnullas preces reci-

D d 2 tasset,

tasset, etiam atque etiam Beatum rogans, ut à Deo sanitatem sibi exoraret, vouet denique, si eius sit compos, vno anno, honorandæ ipsius memoriæ, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam quinque pronuntiaturum quotidie, ite quotidie, dum Romæ versaretur, eius sepulchrum salutaturum, atque ibidem donum argenteum appensurum. Reductus in cubiculum, eam noctem, quod se ab inclusis corpore humoribus iam opprimi sentiret, in maximis ærumnis egit. Undecimo die illucescente, manus, pedes, totum denique corpus intumuerat, venarum nulli motus, aspiratio grauior. A medico, ubi eum vidit, in desperatis habetur. A valetudinario præparare animum ad accipiendum cœleste viaticum iubetur. Hac denunciatione, votum ille proximo vespere nuncupatum iterat, sumptaque in manus quasdam Beati reliquias, quas à Collegij Rectore acceperat, reuerenter osculatus, ad affectas partes nudas, quacumque vrgebat dolor, signo crucis expresso, adhibet. Momento post, calculus à latere abruptus in vesicam defluit, ac subinde, vna cum omni illa humorum copia, quam undecimum iam diem continebat, effunditur, vehementisque ille dolor frangitur, nisi quod ei triduum pars, qua calculus transferat, leniter, & nullo propè sensu condoluit. Eodē
diē

die votum soluere exorsus, postera luce Beati sepulchrum veneratus, gratijsque actis, ex toto sanus, & firmus, pedibus egreditur domo, & II. Kalend. Quint. qui gloriosæ eius ad superos migrationi dicatus est, argenteum recuperatæ diuinitus valetudinis monumentum sepulchro affixit, ac deniq; iuratus hæc omnia legitimis tabulis commendari iussit.

Huius miraculi magnitudinem auxit, etiam alterum quoddam, quod homini simili ægritudine laboranti Augustæ Taurinorum euenit. Philibertus Baronis V. Cl. quadam nocte & ipse acerbis renum doloribus vexatus, vt est cū primis pius, ad Dei præsidium, eumque orandis tū alijs Diuis, tum præcipuè Beatis è Societate IESV viris Ignatio, & Xauerio propitiandum se contulerat, horumque etiam imagines poposcerat. Sed cū dolor à quarta noctis hora, ad tertiam decimam proximè sequentis diei, non modo non remitteret, sed etiam augeretur, redit in memoriã audisse se, vno circiter ante mense adolescentem quendam Romæ Beati Aloysij precibus à simili morbo admirabiliter recreatum esse. Spem igitur nactus, neque sibi illum defuturum, cum nullam eius effigiem haberet, literas, quæ erant ipsius Beati manu, nuper à Patre quodam dono sibi datas, eo consilio afferri

Dd 3 iubet,

iubet, vt ad leuandum dolorem, renibus admoueat. Verùm cùm illæ perquisitæ nusquam reperirentur, sublato ad cœli cogitationem animo, quàm maximo potuit ardore mentis, Beatum Aloysium aduocat. Sub hæc leuis eum somnus complectitur, per quem visa illi obuersari species hominis adolescentis è Societate nostra, statura eminenti, quàm breui propiore, vultu macilento, naso aquilino, & longiusculo, quæ lecto appropinquans renes sibi, totumque corpus cingulo in orbem ambiret, ipse, qui Beatum Aloysium de facie non nosset, eum tamen esse suspicatus, euigilat. at ille ex eius iam se subrigentis, manusque in amplexum, & venerationem tendentis oculis cùm euauisset, certam suæ præsentia vim, & effectum reliquit. Siquidem eodem puncto temporis è renibus delapsum in vesicam calculum sensit, de quo Deo, & Beato Aloysio extemplò gratias egit. neque prius horam quartamdecimam sonuit, quàm lapillum eiiceret asperum, sanguine imbutum, fabæ crassitudine, ac deinde dolor omnis, & morbus ex toto recessit. Ex eo B. Aloysium sibi suæque familiæ proprium apud Deum patronum, & præsidem delegit, eumque in omni fortuna auxilio sibi esse, & solatio confidit. Ceterùm vt hanc valetudinem Dei se inusitatæ potestati acceptam

ferro

ferrè palam ostenderet, sigillum argenteū ad Beati sepulchrum dono misit, hæcque omnia apud Archiepiscopum Taurinorum iuratus exposuit.

Iohanni Baptistæ Philippino Romano filius erat admodum puer, cui nomen Iohanni Francisco. Is tūm febrī hectica, qua annum propè laborarat, miseris modis consumptus, atque afflictus, tūm verò altero etiam morbo, elephantiasi, seu lepræ perfimili, qui cutem insidens, & sparsus toto corpore, nocte dieque eum inquietabat, in vltimum discrimen adductus erat. Nullo, præterquam lacte, utebatur cibo, neque vllum medicamentum ex omnibus, quæ Medici complura sunt experti, vnquam respondit. Accessit ad hæc diarrhœa adeò infesta, vt Medicus abiecta omni spe noxæ, quam illa attulisset, resarciendæ, ratus mortem effugere non posse, ad eum venire desineret. Pueri pater in tanta præsidiorum naturalium inopia, ad diuina confugit. ergo cum præ manu illi esset dens Beati Aloyij, eū puero de collo suspēdit, ille eodē die pulsem esitare, morbus inclinare, pectus detumescere cœpit, ac deniq; febrī, cæteraque omnia aduersa valetudine soluta, mirantibus medicis, integritas cōsecuta est.

Porro quòd hoc esset illustrius, placitū est Deo, vt eidem puero aliud præterea mira-

Dd 4

culum

culum contingeret. etenim altero post hæc mense, in malignam febrim relabatur, col- lum turgescit, exanthematis obseritur, in tibia duo carbunculi enascuntur vsque eò pestilentes, vt eos conspicatus Medicus, cõ- festim puerum pro deposito duxerit, ma- tremque eum quàm longissimè ab se habe- re iusserit. eam enim in ijs contagionis vim esse, vt quamlibet valentem hominem in- tra quatuor & viginti horarum spatium de vita exturbare præsentis sint. Pueri pateri- terum ad eum, quo volenti propitio iam v- sus erat se recipit, atque voto vnà cum con- iuge pro filij salute concepto, reliquias sa- cras iterum adhibet. Postero die mane re- dit Medicus, exquirat iamne vixerit: parè- tes videre, visitat puerum: comperitur fe- brim omninò discessisse, cæteri que morbi scuitiam discussam esse. Rei nouitate atto- nitus, cùm in crucis modum se signasset, i- ta discessit, vt negaret esse, quòd præterea curandi causa reuerteretur. Pharmacopola item experiens, qui pridie vnà cum Me- dico ægrum inspexerat, admiratione perculsus, cùm manum ad frontem extulif- set, ad terram vsque submitit, nimirum, quod aiebat, vt crucis nota miraculi magni- tudini responderet. At postquam de voto facto cognitum est, nemini obscurum fuit, quin tantæ rei gloria B. Aloyisio tribuenda esset.

esset. puer ad eius tumulum deductus, tabella ex voto posita est. Quibus de rebus instrumentum factum, cui suum testimoniū, duo Medici, & Pharmacopola ille ascripserunt.

Franciscus Crottus nobilis Brixienfis, cum eum acuta febris grauissimè incurfaret, in paucis diebus in vehementi accessione plurimum desipere, & dementire cœperat. iamque ad Curionem maturè missum erat, vt eum, quippe deploratum ab omnibus, sancto oleo imbueret, & si quidem mens rediret, etiam pœnitentia lustraret. Curio vbi præproperè accessit cum sacro oleo, non modo delirantem, atque aliena omnia loquentem, verum etiam in morbi tantis furijs, & intēperijs agitatum offendit, vt lecto contineri non posset. Hic eius filius matri suadet, vti pro parente, votum Beato Aloysio faciat. Illa submissis genibus, vouet, si Marito secunda valetudo contingat, sacrificium in honorem Beati faciendum curaturam. Vix omnia voti verba enūtiarat, cū deliriū intermittit, æger sibi redditur, peccata sua mente sanissima confitetur, tãtaque deinde febris inclinatio facta est, vt postridiè à medicis integer sit repertus, neq; illa post id loci vnquam reuertit. Voto satisfactum, & litteræ authenticę Brixie factæ.

Dd 5

Iuliam

Iuliam Mariniam Brixienſe annum quinque, & ſeptuaginta annorū, poſt trimēſtre ſanguinis menſtrui, ſiue vterini profluuiū anima defecerat, atque inſuper ardens coorta febris exitialibus acceſſionibus vrgebat. Duo primi in ea vrbe nominis Medici Bettera, & Grillus, de eius valetudine prius auditione, deinde etiam conſpectu ipſo edocti, morbum cū ſuapte natura, tū propter grauē feminæ ætatem incurabilem eſſe cenſuerunt. profluuium ſiquidem ſanguinis cum dolore erumpentis, certum eſſe indicium vlceris alicuius latentis in vtero, neque aliud omnibus remedijs poſſe perfici, quam vt in permoleſtam aquam intercutem, cuius iam manifeſta argumenta præferret pedum, tibiaramque tumorem; tandem deſineret. At illa hortatu filij ſui in æde ſacrarum maxima Brixie manſionarij, quo die Brixie in honorem Beati Aloyſij feſtus dies agebatur, ſuſcepto voto, opem ab eo petit, atque triū dierū ſpatio, febris, ſanguinis profluuiū, doloribꝰ liberatur, pedes item, ac crura in paucis diebus, tumore poſito, priſtinum in modum reualeſcunt. Brixie res teſtata monumentis mandatur, votumque ſoluitur.

Romæ hominem inopem febris, decimo verò die ingens acceſſionis impetus inceſſerat, ſimul vſque eò ſoluta alio, vt ſe extinctum

tinētum iri crederet. Quoniam verò nihil ei, quo vitam toleraret, aut valetudinem curaret, suppetebat, cū se in duobus Xenodochijs Christi amore, hospitio accipi, frustra orasset, iter cepit ad id valetudinarium, quod in monte Cælio haud longè abest à Lateranensi Basilica. Ex itinere diuertit in ædem Annunciatæ, in qua Beatus Aloysius situs est, atque ad eius tumulum prostratus, flagrantissimo animo: Aspice me, inquit, Beate Aloysi, si effeceris vt hæc febris, hocque profluuium quiescat, etsi mendicus sum, tamen quòd vnus scrutati sit donum, huc ex voto ferā. Egressus æde, dum viam pergit, paulò post animaduertit & febrim iam se, & profluuiū, atq; omnem denique corporis difficultatem deseruisse. neq; verò horum quicquam postea accessit. igitur postquam mendicando stipem vnus scrutati coegit, voto se exoluit.

Franciscus Fabrinus ciuis Romanus, cū pridie D. Matthæi, strepitum quendā vesperi in tecto suæ domus fieri audisset, rei explorandæ causâ murum duas perticas & semis altum, vnde in illud prospectus erat, conscenderat. Vbi, velut à quopiam se percellere nitente, sentit pedibus vim afferri, ac fallente vestigio pronò capite præceps in domus impluuium ruit. ac si rectà deatus esset, neces-

neces-

necessario illi in grande latumque saxum,
 quod pro ianua quadam iacebat, caput of-
 fendendum erat. quippe in illud pileus, quo
 opertus erat, decidit. Sed cum per aerem
 labens; Beatum Aloysium, ut opem ferret
 inclamasset, vi quadam, quasi humeros su-
 beunte, subleuatus, aliquot inde passus ad
 vas amplum fictile sic abreptus est, ut capi-
 te in eius orificium illato, nusquam tamen
 labro illius, impacto, reliquum corpus hæ-
 reret in aere. ac tantus fuit præcipitantis
 impetus, ut in vas immersus, neque se exi-
 mere, neque vel tantillum commouere
 posset. sed neque opem implorantis clamor
 exaudiebatur. In illis angustijs deprehensus,
 iterum Beatum Aloysium inuocat, atque ex-
 templo mirum quantum paruo negotio si-
 ne vulnere, sine tumore, sine dolore vlllo
 inde exijt. Igitur salutem suam B. Aloysio
 acceptam ferens, confestim humi prostra-
 tus honorem illi habet, gratiasque dicit, ac
 deinde grati sui animi, acceptique beneficij
 monumentum, rei gestæ imaginem ad se-
 pulchrum affert. Adrianus Montemelinus
 Comes, Perusij diuturna ac difficili impli-
 citus febris, neque assidua medicorum dili-
 gentia, neque multiplici remedium gene-
 nere, atque præstantia leuari poterat. Post-
 quam quinquaginta admodum dies ægro-
 tarat, quidam è Societatis Collegio, quod
 est

est Perusij, modicum cutis fructum, quod de B. Aloysij corpore, qua nocte ille decessit, absciderat, Rectori eius collegij, Comiti ferendum dedit. Alletum eius cervici appenditur. nec mora. finitur febris, neq; amplius reuertitur. Id pluribus consignatis tabulis proditum est.

Cum Vincentius Mantuæ Dux, Romã, Paulo V. Pont. Max. pedem, more maiorũ, osculatum venisset, & ipse ad Beati Aloysij cognati sui sepulchrum venerabundus accessit, atque à Marchione Castilionensi, Cæsaris oratore, insignem reliquiarum eius partem accepit dono. In reditu verò ad suã conditionis oras, primùm Florentiã, ac deinde Mantuæ valetudine quadam detentus est, quam crebrò totas hebdomadas, ac menses affixus lecto continuis, acerbisq; doloribus coniunctam experiri solet. In ea quàm propitio sit vsus B. Aloysio intelligi licet è litteris, quas, paucis diebus quàm domum reuerterat, ad eum ipsum Marchionem dedit. Sunt autem hæ.

Illustrissime, & excellentissime Domine. Nactus occasionem, certiozem te faciendi de prospero meo domũ reditu, quam rē satis scio, pro tuo in me amore, haud tibi mediocri voluptati fore; neque illud reticere possum, aliquem me iam fructum commendationis Beati Patris nostri Aloysij Gonzagæ cepisse. Florentiæ siquidem cum essem consuetam meam valetudine genu correptus, cum votũ quoddam ei-
denti

dem Beato vouissem, ac reliquijs eius, quas abste
 accepi, partem affectam in crucis figuram conti-
 gissem, admirabili quodam modo leniri dolor, &
 malum solito citius euanescere visum est. Huc vero
 postquã deueni, iterũ mihi eadem egritudo latens,
 quod haud paulo maioris periculi est, incesit. Ite-
 rato, & confirmato voto, iterumque adhibitu ritũ
 reliquijs, assequi dicendo non possum, quam inus-
 tato more recesserit. Itaq; ego ille, qui totas heb-
 domadas antea maximis doloribus iactari, &
 complures postea dies in confirmanda valetudine
 consumere solebam, nunc ex toto sum his omnibus
 solutus. Quæ omnia Beati nostri precibus, quibus
 intercedentibus, credo equidem Deum ad suam
 gloriam ea mihi in loco gratiæ largitum esse, ac-
 cepta refero. Id quã primum te scire volui, tecumq;
 hoc meum cœlestẽ gaudium communicare, quod
 tibi item in primis iucundum fore certò noueram.
 simul visum fuerit Pontifici Max. Domino No-
 stro, permittere, vt ara illi ponantur, votaq; fiant.
 quæso id mihi statim renuncies. nimirum vt votũ
 meum exoluam, atq; in hominum, qui mei sunt in-
 ris, animis, pietatem aduersus illum plenam san-
 ctitatis, desigam, atque propagem. Ex animo pre-
 cor vt me tibi commendatum esse velis, simulque
 manus tibi exosculor. Mantua. Prid. Kalẽd. Octob.
 M.DC.V.

Vestræ Excellentiæ Cognatus, &
 seruus Dux Mantua.

Sigismundus Miskovvski Gózaga, Mar-
 chio Miravvientis, Magnus Marscalcus Re-
 gni Poloniae, Capitaneus &c. vir illustrissi-
 mus, superioribus annis à Mantuæ Duce in
 Gon-

Gonzagarum gentem allectus, legatus erat à Poloniæ rege in Pannoniam, vt inde nouam sponfam Poloniæ Reginam deduceret. Is cum Pragam venisset ad Cæsarem, à Guilielmo Sanclementio Regis Catholici apud eum oratore viro excellentissimo, breuem de virtutibus, sanctimonia, & miraculis Beati Aloysij Gonzagæ manu scriptum commentariũ, eiusq; prælo excusam effigiẽ accepit. Is cum iter suum per Boiohemum profecutus, prima luce in oppido cui nomen Budroas rei diuinæ adesset, repentinò tam vehementi dolore, grauique morbo oppressus est, vt in lectum abijcere se cogeretur, eoque magis ancipiti, quòd eius vim, & naturam Medici assequi non poterant. Idẽ mali ardor totum eum diem vsque ad mediam noctem tenuit. tum verò vbi neque somnum, neque quietem vllam capere non poterat, redijt in memoriã eius scripti, de quo memini, collectoq; paulisper animo, illud cœpit euoluere, ac subinde intentis in Beati imaginem oculis opẽ eius feruenti, propensoq; animo exposcere. Vix vota finierat, cū arctior eũ in multam lucẽ cõplectitur sõnus. Expergefactus, ex toto restitutã sibi sanitatẽ esse comperit. Actis Deo, Beatoq; Aloysio gratijs, certº donariũ ad eius sepulchrũ Romã mittere, iter suũ secundo numine persequitur. Hęc omnia ipse-

ipse-

ipsemet vir Illustrissimus Cracouia, apud eius vrbis Antistitem iure iurando testatus est, atque ibidem, rei gestæ hitoria typis vulgata est, vnà cum oratione, quæ de Beati Aloysij laudibus Lublini est habita.

Flaminius Baccius Romanus Doctor, eius, qui consilio sacrorum rituum est à secretis, adiutor, in febrim quotidianam duplicem inciderat, simulque eum grauis inquietus, & tinnitus aurium somnum omnem prohibens fatigabat. Cum nullis Medicorum auxilijs ad sanitatem proficeret, insuper in prima & vigesima accessione, torminibus etiam, quæ nullum quieti locum relinquebant infestari cepit. Compluribus remedijs à Medico frustra consumptis, sub horam quartam eius noctis, qua febris quartum, & vigesimum accessit, omnibus, qui sibi ministrabant cubitum dimissis, crescente nouo impetu dysenteria, crebrius multam, & cruentam ventris proluuiem deiecit. Ea re perterrefactus, cum naturali ope se refici posse desperaret, metueretque, ne se eadem nocte anima deficeret, multas de corporis, deque animi salute curas secum volebat. septima eiusdem noctis hora, subit animū Beati Aloysij memoria, cuius vitam, ac miracula, summatim descripta Ioannes Paulus Mucantius V. C. Pont. Max. à carimonijs, & sacrorum Rituum consilio, cui

Ponti

Pont. de eo in Diuos referendo consultandi negotium demandarat; à secretis ei tribus ante diebus perlegerat. Hunc obtestari cœpit, vt Deum sibi placaret; & quoniam capitis dolor, ac debilitas supinum recumbere cogebat; cum vtraque manu pansa vultum sibi operuisset, quam elata potuit voce, & significatione pietatis, suam ipse vicem miserans, his eū verbis inuocat. O beate Aloyſi Gonzaga, quem ad tantam gloriā Deus euexit, dignare tuas mihi manus imponere. equidem certam inde salutem exspecto. Quæſo te, gratiosè apud Deum adulescens, concede hoc mihi gratiæ causa, vt ad decernendos tibi Diuorum honores, quos tam ardentè optauì, operam meā nauare possim. Vix hæc pronunciarat; cum sentit veluti Beati manibus vultum sibi vsque eo premi, ac subigi, dum nasus flecteretur. interim dum modicè respirare nititur; tenuem quidem, sed gratum, ac multò suauissimum odorem hausit, quo tantoperè recreatus est, vt continuò condormisceret; neque ante posteri diei horam duodecimā, qua ab ancilla excitatus est, euigilaret. Tum verò se diuinitus, optato beneficio ornatū esse cognoscit. Quinque ipsas horas dormierat, non illi condolebat caput, non laborabat torminibus, humores qui coiuerant digesti erant, atque discussi, aluis iam astricta

Ee

requi-

quietem dabat, febris decesserat, ab omni denique sinistra affectione confirmatus erat. Ergo ille domesticis omnibus sibi diuinitus rectè esse prædicare, vestes poscerè, lecto egredi velle. Interea Medicus cum aduenisset, finitamq; febrim ac morbù remotù reperiret, cognito quid ea nocte euensisset obstupuit scilicet ac rei certius explorandè, urinam inspexit, in qua negavit vllum præteriti mali vestigium apparere, & Deo cum cæteris gratias egit. Cupiebat ipse quidem quamprimum domo a iinclytù B. Aloyij corpus venerandum exire, sed Medicus experiri vellet, nù febris reuerteretur, duos dies domi morari iussit. Quibus elapsis pietati suæ morem gessit, hæcque omnia, sua testificatione firmata, in instrumeta retulit.

Benedictus Rudolphus Nobilis Florètinus, cum esset septèdecim mensium, fascinat, vt verimile est, à malo genio obsideri cepit, fuitque in eius potestate, ad annù vsque ætatis vndecimùm. Itaque cum antea bellè habitus, venustus, nitidus esset, postea corpore pallido, macilèto, manco, gibboso, contracto, adhuc morosus, & supra quàm credibile sit, iracundus fuit. Quoties à matre vapulabat, oculis horribilè in modum ardere: seipsum crebro cædere: caput muro impingere: in terram volutari: matrem, vt se enecaret, orare: in aquam præcipitem se dare, alijsque modis vitam sibi

sibi adimere conari: docili quâuis esset ingenio, doctrinæ tamé Christianæ capita ægerrimè discere: Prætereunte supplicantiû pōpa, in qua Diuorum reliquiæ ferrētur, ad fenestram contineri non posse, vociferari, turbari, & iâ grâdiusculus se proripere: Nō rarò quædam supra ætatis captû dicta dicere: nonnunquam etiam à dæmone tantillus puer ad sermonis, gestuûq; obscænitatem impelli. Principiò ignota adhuc vi mali, Medicis curâdus erat tradit⁹. sed nihil profectû est. Cōperto dæmonis furijs agitari, sacræ preces ad eum expiandû crebro adhibita, & deductus ad ædē D. Virginis Matris, quæ humani haud procul Pistorio magno energumenorû cōcursu celebratur, frustra utrûq; fuit. Anno M. DC. V. mense Decēb. cū ab importuno genio solitò grauius vexatus esset, cōmemorauit Matri, manifestò obiectam sibi Christi crucifixi speciē, duobus sacerdotibus latera stipantibus, quæ bono animo esse iuberet. in breui liberatû iri. Mater duos illos sacerdotes, Beatos è societate Iesu viros, Ignatiû, & Xaueriû interpretata, eorû reliquias quærit, nec reperit. Vbi verò didicit Violanti Medicæ lectissimæ femine nō nihil esse de reliquijs B. Aloysij, eas impetrat, puerique collo alligat. Vix admotæ erant, cū ille vehementi motu concuti, ingentiq; clamore, yti eas auferrent,

flagitare quòd earum contactu vndiq; vti se diceret. At qui aderant vi retinere adigunt, dum sacerdos deuouendi gnarus accerferetur, quem inter execrationes reliquijs item illis vti iusserunt. qua re in libertatem vindicatus est. Nam cum sacerdos inter expiationis ritus Beati reliquijs alias atque alias pueri corporis partes contigisset, neque vsquam Dæmonem deprehenderet, tandem excessisse suspicabatur; ad extremum in sinistro brachio prope manum, latitantem cum ostendisset, superimpositis reliquijs abire compulit, puero semianimi relicto. singularis tamen eius quies, & tranquillitas fuit, cui item postea semper constitit, ac dum hæc mandamus litteris etiam nū constat. Pueri mirifica in B. Aloysium pietas hæsit, matrèq; orauit, vti se studijs tradat, itaq; educet vt aliquando Societati aggregatus B. Aloysio in loco filij esse possit. Hisce de rebus omnib; auctoritate Archiepiscopi Florentini fide publica litteræ consignatæ sunt.

Angelæ Bóhomix Brixianæ puellæ XXI. annos natæ, crus vtrumque ad eum modum mutilum erat, vt dextrum septem locis foratum, sinistrum crassissimo tumore in summo pede impeditum esset. itaque non nisi ligneis adminiculis vtrique axillæ subiectis se mouere, aut ingredi poterat. ac tum etiam agrè, quòd neque dextrum pedem vnquam

quam humi figere posset, & sub alis, perpetuo eorum usu, brachia luxata haberet. Iam alterum, & dimidiatum annum ad hunc modum claudicaret, cum die anniuersariæ Beati Aloysij memoriæ sacro, hortatu feminae nobilis, ac piæ ad ædem D. Antonij, ubi Patres Societatis domicilium habent, in qua propofita est Beati imago se cõtulit, ac vix intra templi limen constitit, cum præ lassitudine porro progredi inualida, humi procumbit in genua, conuersaque ad Beati effigiem, & oratione dominica, atque salutatione Angelica quinquies recitata, sanitatem ab eo postulare insilit. Addit insuper votum, si compos fiat, quando nihil aliud inopi suppeteret, adminicula illa sua apud imaginem eius, indicium acceptæ, eo agente, à Deo salutis suspensuram. Remigrat domum. eadem nocte lacunæ illæ dextri crucis impleri, sinistri tumor residere incipit. Itaque postridie mane valetudine in meli⁹ inclinata, confirmatior, altero duntaxat adminiculo, intra tertium, quartumue diem neutro eguit, paulò post verò adeò plena sanitate potita est, vt dextrum crus quod antea vis mali contraxerat, in iustam longitudinem excresceret, ac proinde crepida, qua plus tres digitos alta erat vsa, submittenda necessariò fuit. Huius præstiti sibi diuinitus beneficij memoriæ perpetuandæ ad-

minicula sua iuxta Beati effigiem in illa eade
appendit.

Neq; verò minus copiosè B. Aloysius in
homines Castilionenses, suæ quondã ditio-
nis, benignitatis suę fontem effudit. id q̄ ex
instrumento publico, quod admodum nu-
per, ibi confectum est, cognosci licet. in eo
hæc beneficia ac miracula pluribus explicã-
tur, quibus ab Archiepresbytero Castilio-
nensi his verbis compendium est factum.

I. Celsus Botturrus homo infirmus, qui
nò nisi scipione nixus, ac tum etiã ægrè in-
gredi poterat, die, quo statò B. Aloysij felix
quotannis excessus recolitur, ad ædem sa-
cram, in qua eius effigies palam visitur, ve-
ctus iumento, triũ milliarium iter facit. Ibi
cũ vouisset se in certã diem ardentẽ lâpada
præbiturum, inde, abiectò scipione, quasi
integer ad negotia sua discedit, atq; in bre-
ui firmus omnino euadit, quod ille libens
merito B. Aloysij deprecationi attribuit.

II. Antonia cõiunx Ioannis Baptistæ Mar-
mētini, Notarij, qui in cõficiendis de Bea-
ti vita instrumētis versatus est, quadã nocte
subitis, grauißimisq̄ tibix doloribus op-
pressa, eadẽ nocte vouet se cereum, & pedis
simulachrũ Beato oblaturũ. Mox sopitur,
ac deinde omni malo vacua expergiscitur.
neque dubitat quin B. Aloysij meritis in-
tercedentibus abscefferit.

III.

III. Margarita, Alexandri Melinæ perho-
nesti viri coniunx, in ingenti coxæ, & tibiæ
tumore erat, & assiduò vix ferendum in
modum cruciabatur. Neque deerant certa
argumenta alicuius fracture, & omnino se-
ctiōne egere apparebat. Vouet Beato ar-
genteam cruris effigiem: momentò dolor
diuinitus recedit, & tumore sensim euanes-
cente, nulla parte fracta, aut secta, persana-
tur. id quod ipsa Beati Aloysij meritis fert
acceptum.

IV. Camilla Ioannis Iacobi Ferrarij con-
iunx, quæ B. Aloysium educarat, cum octo
iplos annos febris hectica continuò detenta
esset, eius effigie visa, vouet ei sigillum ar-
genteum. Nec mora. leuatam se sentit. qui-
escit febris, valet bellissimè, & hac gratia B.
Aloysio se deuinctam fateretur.

V. Ioanni Iacobo Ferrario ardētissima fe-
bris filium paruulum extorreat. vouet
pro eo statuā Beati, subitò ex toto conuale-
scit, & Beati beneficentiam prædicat.

VI. Magdalena cōiunx Antonij Gualatij
cardialgia laborans, mortem opperiebatur.
Votū Beato concipit, & mox veluti manu
quadā malū omne cordi suo eximi sētīt, ne-
que vllō præterea dolore tentatur. Deo &
Aloysio, cuius præsidio sit vsa, gratias agit.

VII. Thaddeus Sigurtadus Notarius into-
lerabili finistri femoris dolore correptus, cū

se commouere non posset, noctu Beato simulachrum cruris argenteum vouet. Postera luce prope liber ab omni noxa surgit, atque intra biduum omninò conualescit.

VIII. Andreas Stolfinus surdus factus erat, octo circiter post diebus, cum Beato se voto obligasset, manè se comperit propter eius merita sanatum.

IX. Idem cum pectore multis saxorum ictibus conuulserato sanguinem eieceret, votum Beato vouet. euestigio sistitur sanguis, intra biduū cōfirmatur, & Beato gratiam se debere profitetur.

X. Bartholomæo Melliarino Siluij F. in tempesta nocte repentinus secundum aurè tumor pugni crassitudine, erat exortus, qui ne saluam deglutiret, ac prope etiam ne spiritum duceret impedimento erat. Beato votum nuncupat. eodem puncto temporis intermittit dolor, subsidit tumor, prima luce absq; vilo mali vestigio ad me venit, & Beato gratulatur.

XI. Franciscus Smarallius Simonis F. qui è genu laborabat, grauissimeque torquebatur, neque propter neruorum valetudinè, è lecto se mouere poterat, voto se Beato obstringit. extemplò disrupto genu, lecto desilit, ac postridie ex toto validus Desenzanum septem millium passuum iter conficit.

XII. Pe-

XII. Petri Pilotti filius 30 mēſium infans, altera corporis parte, contractis neruis, ſe-
dè debilitatus, & ſpumas in ore agens, à Me-
dico deſiſtus erat. Parès vota Beato facit.
confeſtim longè meliuſculus liquidò eſſe
incipit, & breui recreatur.

XIII. Dominici Ferrarij filia ob tumo-
rem, qui ei extiterat in gutture, cibum aſ-
ſumere nequibat. Cùm deindè pater noctu
votum pro ea Beato Aloyſio feciſſet, filia
ante lucem ſe corripit è ſtrato, & cibum
abſque vllius difficultatis ſenſu capit.

XIV. Lælia Franciſci Ghiroldi coniunx,
tã erat grauiter affecta, vt nulla iã facultate
ſumendi cibi, in mortis discrimine verfa-
retur. at illa noctu hora ſeptima, voto Bea-
to ſuſcepto, decima valetudinem ſe integrã
adeptam eſſe comperit.

XV. Stephanus Benedictus Doctor, mo-
leſta deſtillatione, quam nulla hominum
medicina ſoluere valebat, oppreſſus, dona-
rium argenteum ex voto pollicitus, opem,
& ſecundioſiorem valetudinem Beati com-
mendatione impetrauit.

XVI. Hortenſius Bonus diuturno impli-
citus morbo, accedente in ſuper cruenta di-
arrhœa, deploratus erat à Medicis. Vouet
Beato ſtatuum argenteam, atque continuò
mirificè ſubleuatur. deſiſtit morbus, mi-
nuit profluuium, ad ſanitatē proficit

Et 5 pluri-

plurimum, ac breui spatio eam ex toto cōsequitur.

XVII. Gothardus Alexandrinus tres ipso menses tertiana conflictatus, eo die votum Beato vouet, quo accessura erat. at illa nunquā reuerfa, ipsi deinceps rectè fuit.

XVIII. Angela Frācisca Ceradelli coniūx, duos & viginti continenter dies, immensis circa cor doloribus exercita, mori formidabat. Vix votum Beato conceperat, cum dolor remittit, ac fugit.

XIX. Petri Bosij filius triennis ægritudine correptus, agebat animam. Pater voto eum Beato stringit. postera luce, perinde ac sanus solet, cibum capit.

XX. Bartholomæo Cimæ filius anniculus, de lecto delapsus, animam in primoribus iam labellis habebat. pater in vota Beatum vocat. Momentò infans valet, ridet, mammam petit.

XXI. Antonius Ferronius stomachum, ac tergum graui onere afflictarat, neque vquam quietis partem vllam capere poterat. Confert se in ædem sacram, ac voto coram Beati imagine suscepto, inde de improviso valens discedit.

XXXII. Ioannes Iacobus Gioldus longinqua affectus febris, simul eam amplio rem fieri videt, votum Beato facit, ac nulla interposita

posita mora illa discedit, neque præterea redit.

XXIII. Ioannes Antonius Morattus, solitus femoris, genu, ac pedis dextri dolore, & tumore tentari, postquam id malum semel & iterum redintegratum animaduertit, Beati gratiam voto expetit, & illud exemplò quiescit.

XXIV. Iulij Faini vxor cùm foetum eniti non posset, ab obstetrice moritura credebatur. voto Beato edito, partu simul, & periculo omni statim soluitur.

XXV. Valerij Factorij coniunx è difficili gutturis affectione ægra, eodem, quo Beatū voto aduocarat, die, omninò firmatur.

XXVI. Catharina Ambrosij Notarij coniunx ischiadico dolore laborabat, & auxilia omnia mortalia frustra erant. Beato votum nuncupat, & melius ei fit: soluit, & tantum non ex toto sanatur. quarto demum die ad plenam integritatem peruenit.

XXVII. Christophorum Saxium annum totū febris cōtinuè exagitarat. Mater quodā die pro eo votū Beato concipit: ille proxima sequente nocte liber euadit.

XXVIII. Baptista Fezzardus manu, ac brachio luxato & tumefacto, insuper febriebat, non sine dolore, & periculo distinctionis neruorum. Voto in Beati honorem
facto

facto dolor lenitur, inclinatur valetudo, brevique restituitur.

XXIX. Martha Pauli Bettij coniunx in difficultate pariendi Beatum voto inuocat, euestigiò parit, suamque incolumitatem obtinet.

XXX. Pauli Bettij filius trimulus collo tumenti, & læso in modum strumæ mensum ipsum ægrotabat, voto à Patre Beato Aloyisio facto, in duobus diebus salutem recipit.

XXXI. Antonius Serlius amplius tres annos cruribus erat molestissimè affectis. concepto B. Aloysij nomini voto leuationem capit, neque multò post rectè valet.

XXXII. Andreæ Pedercini vxor partum edere nequibat. fit votum Beato, statim parit.

XXXIII. Petrus Cattaneus V. R. in æde sacra Parochiali sacrorum adiutor, supraquam credibile est, maligna febre, inflammatione, & capitis erisipelate grauatus, vt ambulatum videretur; suæ iam mentis non erat. At simulac mater pro eo votum fecit, ad mentem redijt, & valetudine deinde bona est usus.

XXXIV. Martha Ioannis Iacobi Fezzardi coniunx pedum ægitudine, & acerbissimis doloribus quatuor ipsos menses cruciata, statim ac beatum voto propitiata, melius

melius habere cœpit, & ad incolumitatem venit.

XXXV. Marthæ Iosephi Balarini coniugis, & simul prolis, quam in lucem edere nō valebat, vita in dubium venerat. verum Beati ope voto quæsitâ, euestigiò eam partu dat, & quidem vitalem. Beato gratia est.

XXXVI. Ioannes Maria Bertasius ingenti femoris, coxæ, & tibiæ dolore quartum iâ diem sic impeditus, vt ægrè ingrederetur, tandem, prout licuit, in ædem sacram se cōfert, vouet, oleum in lampades, quæ pro Beati imagine ardent, suppeditaturum, subito sanus, planeque immunis abscedit, & beati meritum agnoscit.

XXXVII. Bartholomæi Castellini filio tenello, septem continenter dierum valetudo, integrum nihil præter ossa, & spiritû reliquerat. vouet parens statuat se Beato positurum. continuò filius, quòd adhuc nequiuerat, pedibus infiltrere, & suapte ope progredi incipit, atque intra octo decemve dies restituta carne saluus, ac valens euadit. parens Beato gratulatur.

XXXVIII. Infantem tredecim mensium Bernardini Bosij F. prona facie, mater in medium focum cadentem conspicata, vouet Beato ceream infantis effigiem, ac filiû sine vlla ignis noxa erigit, idque Beato assignat.

XXXIX.

XXXIX. Francisca Ioannis Mariæ Pastoris vxor pauore quodam attonita, quattuor ipsos dies tremebūda, atq; eiulabunda, cōcursum multitudinis se sequentis perpetuū sibi audire videbatur. Deduci se in ædē sacram ad Beati effigiē iubet, atq; inde, quod Beati gratiæ fert acceptum, omnibus illis in commodis libera digreditur.

XL. Francisci Theodoldi filius puer quadrimulus, ex casu grauissimè saucius, duos omninò dies continuò moribundus iacuerat. Nocte pro eo votum Beato concipitur, & prima luce sanus reperitur. quod pater B. Aloysio libens attribuit.

XLI. Ioannes Paulus Segala, grauissimo septendecim dierum dorli cruciatu, sic iacebat, vt nec tantillam corporis partem cōmouere, neque nisi instillata per fistulam potione, bibere posset. Is cūm oleum in Beati lampades vouisset, intra tres horas se conuertit, expediuntur artus, atque, vbi diluxit, absolutè curatus exurgit: id à Beato Aloysio meritò sibi imputari testatur.

XLII. Cæcilia Baptistæ Zelini coniunx sex mensibus è crure laborabat, quod fractum, ac tumidum, pes etiam totus luxatus erat, igitur quattuor passus conficere nequibat. Vouet crus cereum Beato, & in quatuor diebus persanata ei

ta ei gratias agit.

XLIII. Dominica Antonij Defenzani cōiunx morbo articulario, qui à pedū vnguibus exorsus sensim sursum repēs in gutture confederat, affligebatur. ea voto Beato suscepto, dolore, & intra horæ spatium omni illa affectione prorsus leuatur.

XLIV. Rigo Regazzolus acceptis tum in altero brachio, tum sub ilio in sinistro latere vulneribus, neque lingua, neq; sensibus competeat, sanguinēq; excreabat. Fit pro eo votum, extemplò sermo redijt, & sensus, ac paulatim conualescens breui spatio valetudinis firmitatem recuperat.

Infinita alia multiplicis generis beneficia complures accipiunt, qui ad Beati effigiem supplicatum veniunt. ante eam duodecim lāpades liberalitate confluentis populi instructæ, super magnum cereorum, ac tædarum numerum, quæ identidem afferuntur, perpetuò viuæ seruantur. atque hactenus circum eam pendent donaria omninò quadringenta.

Cracouiæ tiro Societatis Iesu, cū octo iam dies morbo teneretur, suasu sodalis sui Beatum Aloysium opem valetudinis orare imbibit. Vespere ergo vouet se ad eius honorem decem sacrificijs ad futurum, ac totidem precum coronas recitaturū. Postridie mane, rei admiratione attonitus ipse,
atto-

attonitis item omnibus, qui in iisdem ædibus degebant, valetudine ex toto redintegrata surgit è lecto. Id præpositus Prouincialis Poloniæ, qui rei gerendæ adfuit, testimonio suo sanctè confirmat.

De alio miraculo, quod in Gallia Cisalpina est editum, item de pluribus quibus in suæ ditionis regionibus eius effigies astitit, de quæ multis quibus eius præsidium adfuit, instrumenta Patauina meminerunt. De ænergumenis nonnullis, quos eius reliquæ iuuerunt, atque vt se Romæ homini sæculo obnoxio ostenderit, & raræ cuiusdam rei gratiam fecerit, in Venetis tabulis legimus. De puella ex mammilla ægra, quæ postridie à Medicis secanda erat, quemadmodum Beati ope, cui votum illa fecerit, ab ijs secandi causa venientibus, sana comperta sit: deinde de homine ancipiti febre eius imaginis contactu liberato, tum de alterius puellæ, eo in aduenerationem aduocato, febris hæctica percurata, auctoritates Tiburtinæ fidem faciunt. In Polonia Patri Stanislao Oborschio, qui cum in tyrocinio versatus erat, Beatis Ignatio, & Stanislao comitatum, morienti visum esse, vsque in Italiam fama attulit. Alia eius in se supra vim mortalem collata merita, multi commemorant, quæ omnia percensere nimis longum esset.

Neque

Neq; verò minor est eorum numerus, qui se eo annitente, Deumque propitiante, cõplura interioris illius, cœlestisque salutis animi subsidia obtinuisse profitentur. Id adedò ex his, quæ diuinitus præstita sunt cognosci licet.

Adolescens Polonus ab ineunte ætate plurimum semper orationi, ieiunijs, verberationibus, alijsque sui ipsius afflictationibus apprimè deditus, vita in sæculi licentia sanctè, integreque traducta, Cracoviæ tyrocinium Societatis IESU erat ingressus. Is ipsis sanctioris vitæ initijs ad impias in Deum, Beatissimam Virginem matrem, ac Diuos cogitationes suscipiendas grauissimè, molestissimeque sollicitari cœpit. Quæ quidem vel maximè rerum sacrarum meditationi, precibusque intentum, caelestibusque gaudijs fruentem adortæ, mentem omni derepente pietatis sensu exutam, maximis motibus turbabant. sæpe ille diuinã opem orauit: sæpe Virginis Matris, sæpe aliorum cœlitum fidem implorauit, sed, quòd fortassis illi hoc beneficium Aloysio qui tam deuoto sibi animo seruisset, deprecanti tribui malebant, exaudiri nõ meruit. His importunis inferni hostis telis alterum iam mensem appetito, cū prima luce quondam inter comprecandum iisdem ex consuetudine tentaretur, venit in mentem à

Ff

Deo

Deo sibi per Beatum Aloysium Gózagam, quem in simili discrimine alijs præsto fuisse in eius vita legerat, auxilium petere. Tulit ei suas preces, rogauitque obnixè, vt hac se molestia leuaret. Nec mora. pectus sibi spe ac fiducia, simulque mirifica quadam hilaritate compleri sentit, proinde ac si omnis iam illa animi ægritudo sedata esset. Neque eum fefellit opinio. siquidem eius deinceps semper expers omninò fuit. Rem ipse Beati gloriæ propagandæ vltro alijs exposuit, & iuratus apud acta professus est. In transalpinis regionibus homo pius, Diuinoque numini deuotus, complures annos omnium tentationum libidinis securus in religione trãsmiserat, quando, Dei permisso tanta vi ab impuro genio infestari cœpit, vt totum ei annum, staudum perpetuò fuerit in acie, & cum visis, imaginationibusque turpitudinis, cum veneris stimulis & adhibitis sensui titillationibus dimicandum. neque interea solatium vllum dabatur, aut requies. Inedia, flagris, cilicijs, cæteraque victus, cultusque asperitate corpus macerabat. nihil promouebat. sæpe à mensa, sæpe ex hominum congressibus se proripere, atque ad illachrymandum, ingemiscendumque suæ infelicitati abdere cogebatur. ibi prono in puluerem vultu procumbens, misericordem Deum

Deum precibus flectere insistebat . denique postquam nihil non remedij , quod quidem profuturum speraret , expertus esset , minimè tamen cupiditates accendi desinebant . Accedebat insuper & illud , quòd maxima vi in eam execrandam mentem impellebatur , vt neque Deum , neque Diuos , qui tot precibus fatigati , sibi tam infornato non opitularentur , nostra curare non crederet . Ad vltimum ; cum annum ipsum in hoc tam difficili conflictu ita durasset , vt nullum vsquam subsidium reperiret , subiit memoria sanctæ , atque innocentis vitæ Beati Aloysij Gonzagæ , de qua cum alia , tum illud in primis acceperat , singulari Dei beneficio corpus ab omni veneræ rei impetu ; mentem ab omni flagitij specie semper immunem habuisse . Eo igitur postremo perfugio vti constituit , eum obtestatur ex animo , eius denique sacras reliquias , quas fortè pœnesse habebat , sibi de ceruice suspendit . vix eam illæ contigerant ; cum ex improviso in totum omnis ille cogitationum furor aufertur , status menti placidissimus , quietissimusque redditur ; iamque duo elapsi sunt anni , postquam ab omni illo tentationum genere intactus , tantum beneficium B. Aloysio debet , eiusque opetuetur . De his omnibus legitima auctoritate scriptum factum : anathema

Ff 3

argen-

argenteum Romam ad eius tumulum missum est.

Alia eiusdem generis, quæ à testibus fidei plenis accipi, recensere possè, qui se confirmant, cum antea in vitium Castitati inimicum habitu quodam demersi essent, postquam Dei opem, hoc eius famulo deprecate, tentare sunt aggressi, siue eius sepulchro honorando, siue reliquijs, aut imagine penes se gestanda, siue ad eius honorem quippiam facere instituendo, siue eo in aduocatum, patronumque deligendo, illis immundis facibus quasi restinctis, nulla unquam præterea labe integritatè suam polluisse. Verùm quia deliberatum mihi est ea solum hoc libro persequi, quæ publicis monumentis commendata reperi, hæc autem sine eorum nota, quibus euenerunt, perscribi nequeunt; libens ea prætereo. Illud vnum adiungam; si verum est Beati Aloyij effatum, ut est verissimum, quod diu vixit tenuit, Cælitè ad eas potissimum virtutes consequendas, quibus ipsi in vita ornati erant, mortalibus opem, operamque profiteri: cum ipse non modo puritatis & castimonie, sed aliarum etiam plurium virtutum, quas adhuc explanauimus, tam inuisitata laude floruerit, procul dubio iam celo receptus, ijs cum primis volens propitius erit, qui earum parandarum, aut tuendarum studio,

studio, ad eum confugerint.

Atque ex his quæ hoc capite narrata sũt, facile augurari licet, Deum, qui rebus ab eo gestis necdum in vulgus proditis, ipso deprecatore, ipsiusque nominis illustrandi causa, tot res admirabiles effecerit, tantũq; beneficiorum præstiterit, longè etiam & numero plura, & dignitate clariora eius causa facturum, postquam, vita ipsius typis mandata, magis etiã quod adhuc fieri videmus, fama apud populos, & veneratione creuerit.

*MEDITATIO DE SANCTIS
Angelis, atq; ijs imprimis, qui hominum
custodie præsunt, à BEATO ALOY-
SIO GONZAGA con-
scripta.*

Dictum est à nobis in ipso cursu historiae, Beatum Aloysium meditatione suam de Beatis Angelis, litteris mandauisse, rogatu P. Vincentij Bruni, qui, cum nescius non esset, quanto ille cœlestes mentes honore coleret, quamque præclare de ijs sentiret, id ei negotij dederat. Nimirum vt, aliorum bono, tam insignium sublimiumque sententiarum monumenta superessent. Ea meditatio, vt ab omnibus, vnà cum eius vita, legi possit, hic mihi collocanda visa est. est verò huiusmodi.

EVANGELIVM.

Matt. 18.



Ccefferunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

P R O P H E T I A E.

Psal. 112. 1.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in celo & in terra?

Iob. 5.

2. Deus ponit humiles in sublime.

Dan. 7.

3. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, millia millium ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant ei.

Psal. 91.

4. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Psal. 31.

5. Immitter angelos Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Eccl. 1.

6. Ne dicas coram angelo, non est prouidentia: ne for-

*ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet
cuncta opera manuum tuarum.*

CONSIDERATIONVM

PARS RRIOR.

IN COMMVNI.

Considera, qua ratione Christus Dominus noster pro magno amore, quo nos creaturas suas prosequitur, nunquam desinit nouas, præbere occasiones gratiam suam consequendi, & in virtutibus progrediendi, vt tandem perueniamus ad finem, æternam scilicet sc̄licitatem ab eo nobis præparatam. Atque ideo voluit in Ecclesia sua celebrari omnia nostræ redemptionis mysteria, vt renouata indies memoria omnium, quæ Dominus egit, aut passus est pro salute nostra excitaremur ad amandum illum & colendum, atque etiam conformandum omnes actiones nostras ad sanctissimæ vitæ suæ exemplar nobis relictum. Neque hac re contentus, voluit præterea sigillatim suæ sanctissimæ & benedictæ matris, atque ex omnium Sanctorum cœtu, quorundam præ cæteris excellentium peculiarem in eadem Ecclesia agi memoriam, vt essent velut patroni & protectores nostri, suisque orationibus nobis subuenirent in necessitatibus tam corporalibus quàm spiritualibus, simulque oc-

Ff 4

casio-

cationem darent nobis suas virtutes & sanctæ conuersationis suæ exemplum imitandi. Voluit deinde quoque, vt quoniam Ecclesia, & omnes nos Sãctorum Angelorum ministerio tot tantaque beneficia à sua maiestate quotidie recipimus, eorum quoque solennis memoria quotannis haberetur. Et certè conueniens erat, vt homines erga illos aliquam grati animi significationem demonstrarent, quando quidem tantoperè desiderant & procurant salutem nostram. Eã igitur ob causam Ecclesia sancta memoriã recolit gloriosi S. Michaelis singularis sui protectoris, omniumque reliquorum Angelorum & Archangelorum hierarchiæ cęlestis, quia omnes, teste Apostolo, sunt administratorij spiritus, laborantes quodammodo pro salute omnium electorum. Non dedignantur beati spiritus demittere se ad ministerium hominum, alioquin ipsis longè inferiorum, quia vident Deum optimũ maximum cui tam cupidè & ardenter seruiunt, eousque demisisse se, vt ob salutem hominis, etiam formam hominis assumpserit. Neque etiam dedignantur hominem in suam societatem cooptare, & permittere, vt ex nobis vermiculis, ex hoc vili puluiculo ædificentur muri cęlestis Hierusalem, suæque ruinæ restaurentur, quia adorant supra se, ipsum hominem factum Deum.

Consi-

Hebr. 11.

Considera autem hic, quàm congruenter
 Ecclesia Sancta in festo huius inuicti Ar-
 changeli præsens Euangelium de virtute
 humilitatis legat. Nam sicut superbus Luci-
 fer ad vsurpandum diuinum honorem ex
 altissimo Paradisi throno præcipitatus fuit
 in profundum inferni: sic humilis Michael *Apoc. 12.*
 cum toto Angelorum bonorum exercitu,
 subiiciendo se creatori suo, & zelo gloriæ
 eius opponendo se fastuoso illi serpenti, rã-
 toperè fuit honoratus, & in summam dig-
 nitatem euectus. Proponitur quoque hoc
 Euangelium in solennitate omnium eorũ
 Angelorum; qui vnà cum beato Michael
 virtute humilitatis consecuti sunt coronam
 gloriæ; vt homines intelligant hoc esse in-
 effabile & eternũ decretũ Dei, neminẽ pos-
 se peruenire ad gloriam, quã possident An-
 geli, nisi per viam humilitatis, quã illi pri-
 mùm institerunt. Imò & Christus Saluator
 noster beneficio huius virtutis sui sacri
 corporis gloriam acquisiuit, vt dicit Apost.
Humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad *philip. 2.*
mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illũ.
 Quare prodigiosa res esset, si eius fideles al-
 lia via, quàm caput ipsorum, ingredi regnũ
 cælorum vellent.

2. Considera excellentiam horum cœle-
 stium aulicorum Paradisi principum, quam
 licet mens nostra perfectè capere non pos-

fit, tamen pro exigua luce, ex eorum erga nos ministerio nobis communicata, conabimur in eorum honorem ob oculos ponere partem aliquam dignitatis & gloriæ à Domino eis concessæ. Tria igitur sunt, quæ illustrem solēt reddere, aulam, vel exercitum magni Principis. Primò nobilitas personarum; secundò earundem numerus; tertio ordo. Tria hæc imprimis relucent in angelicis spiritibus. Si enim primò consideres eorum naturam, inter opera manu artificis magni Dei condita, principem locum vendicant: sunt substantiæ spirituales: natura sua incorruptibiles, omniumque creaturarum nobilissimæ: intelligentia tanta, ut in rerum naturalium notitia expertes sint omnis erroris & ignorantie. Huic quoque tanto lumini intelligendi conformem habent voluntatem ita firmam & perfectam, ut nulla perturbatione affici vel vinci possint. Si verò te conuertas ad statum, in quo beneficio gratiæ nunc versantur, nullo unquam admisso peccato consecuti sunt gloriam & æternam felicitatem. Adhæc in sua essentia ornati sunt habitu diuinæ gratiæ, qui eos pulcherrimos & gratiosissimos in conspectu Dei reddit. In intellectu dotati sunt claro lumine gloriæ, quo à facie ad faciem vident suum Creatorem: in voluntate verò habitu caritatis.

ritatis, quo amantes amore perfectæ amicitiae Deum, simul Filij & amici ipsius Dei efficiuntur. Nunc ergo anima mea, contemplare horum cœlestium civium pulchritudinem, qui instar tot stellarum matutinarum, imò clarissimi Solis, resplendent in ciuitate Dei, in quibus tanquam in lucidissimis speculis diuinæ perfectiones, vt infinita potentia, æterna sapientia, ineffabilis bonitas, & ardentissima Creatoris caritas relucet. O quàm amabiles, quàm puri, & candidi sunt hi beati Spiritus, quam zelosi vindicandæ Domini gloriæ, quam cupidi & solliciti de nostra salute, atque ideo quàm digni, vt à nobis peculiari-ter amentur & colantur. Etenim si honor (vt aiunt Philosophi) est cultus qui alicui debetur ob excellentiam, vel virtutem quam in se habet, & idcirco ijs hominibus, licet omnes secundum naturam inter se sint pares, qui aliqua laude alijs præcellunt, maiorem honorem deferre solemus: quanto potius nos creaturæ tam viles & abiectæ, si cum cœlestibus spiritibus conferamur, omnem honorem & cultum eis deferemus? cum vnusquisque eorum, licet minimus, in supra commemoratis dotibus & excellentijs, nobilissimum quemque hominum mortalium longè superet. Præterea si sancti angeli, creaturæ

ræ

ræ tam nobiles natura & gratia, omnibus reliquis antelata, demittunt se & honore afficiunt hominem, quia Deus eundem amavit & honoravit; multo certe conuenientius nos per pusilli vermiculi, omni honore, & deuotionis affectu prosequemur eos, quos Deus tanto perè honorat & exaltat in cælo. Hi enim sunt filij illi dilecti, qui semper contemplantur faciem Patris, & candida illa & pura lilia inter quæ ipse pascitur, & montes aromatibus odoriferis pleni, in quibus cælestis sponsus ambulat, & se recreat.

Cant. 28.

3. Post dignitatem & excellentiam huius aulæ cælestis considera numerum & ordinem aulicorum. Et primo, quod ad numerum attinet, is tantus est, vt non solum excellat numerum hominum omnium qui nunc viuunt, verum etiam eorum qui vnquã extiterunt, aut futuri sunt vsque ad diem iudicij. Multitudo horum beatorum spirituum, similis est arenis maris, & stellis, quas Sapiens dicit, numerari non posse. Atque vt assertit S. Dionysius Areopagita capite 9. cæli hierarchiæ, maior est numerus angelorum in cuiuslibet ordinis, quã in mundo sit in vllò ordine rerum materialium. *Millia millium, dicebat Propheta, ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant ei.* vbi more suo scriptura numerum certum

Eccl. 1.

Dan 9.

pro

pro incerto, & quidem numerum hominū
 opinione maximū, vt intelligatur numerū
 eorum à solo Deo iniri posse, quodque a-
 pud Deum numerabile est, id apud homi-
 nes esse infinitum & innumerabile. Et ideo *Iob. 25.*
 legimus in Iob: *nūquid est numerus militum eius?*
 De quorum numero etiā dixit regius Pro-
 pheta loquendo de Angelis, *Currus Dei decē*
millibus multiplex. millia latantium, Dominus in
eis, in Sinai, in sancto. Sanctus quoque Enang. Psal. 67.
 vt est in Apoc. ait viam magnam multitu-
 dinem in conspectu Dei ex omnibus popu-
 lis & linguis & nationibus, quæ numerari
 non poterat. Si hic electorum numerus,
 quem scimus minimam esse hominum par-
 tem, tam magnus est, vt numerari non pos-
 sit; quantum putamus fore Anglorum, qui
 decies omnium hominum numerum exce-
 dunt? Meritò autem tantum hic cœlestis
 monarcha habet aulicorum numerum: nā
 si, vt dicit sapiens. *In multitudine populi digni- Prou. 14.*
tas regis, & in paucitate plebis ignominia princi-
pis, cum Deus sit princeps ille excellentissi- 1. Tim. 6.
 mus, rex regum, & Dominus dominantium,
 valde conueniens erat, vt familiam amplā,
 & aulam numerosam in spatiofo illo regno
 & immenso cœli palatio haberet. O quan-
 tum gaudium & solatium tibi afferret ani-
 ma mea, si multitudinem tam nobilium
 creaturarum, cum natura tum gratia præ-
 staret.

stantium, atque etiam gloriæ nomine beatarum intueri posses. O si tibi fœlix illa fors aliquando contingeret, vt inter cœlestia illa agmina in tantorum Principum & filiorum Dei, imò fratrum tuorum cœtu versare: non enim erubescunt sublimes illi & amabiles spiritus homines pro fratribus agnoscere, eo quod Dominus eorum, non solum non veritus est vocari, verum etiam verè, per assumptam carnem, voluerit fieri frater noster. O quàm libenter etiam tu vnà cum vocibus illis angelicis laudares & benediceres Dominum tuum pro tãto beneficio ab eo recepto.

4. Considera deinde mirabilem ordinẽ à diuinã prouidentia angelicis spiritibus decretum & constitutum, siue cum Deo, siue inter se, siue cum alijs huius mundi creaturis componantur. Si enim conferas illos cum Deo, nulla est inter eos discrepantia, omnes enim eum vnanimiter colunt & reuerentur, tanquã solum Principem, & cœlestis suæ ciuitatis Dominum. Si inter se, nulla in tanta multitudine confusio, summus ordo, admiranda distributio, diuersis intelligendi modis consentanea; Alius alio sublimior & excellentior, prout Deus illis sua arcana reuelat, eorum quẽ ministerio in hominum salutem vtitur. Et vt ad particularia descendamus, tota gloriosorum illorũ
spi.

spirituum multitudo tribus Hierarchijs, suprema, media, & infima cōtinetur. Quæuis autem Hierarchia in tres choros, summum, medium, infimum, distinguitur. Prima earum continet Seraphinos, Cherubinos & Thronos. Vbi ex eorum nominibus facilè cognosces eorum officia in quibus exercentur: proprium enim Dei est, imponere creaturis nomina officijs eis commissis conformia. Contemplare igitur primum chorum Seraphinorum, qui velut cubicularij secreti & intimi Regis cœli, conuenienter nomini suo non solum sunt pleni & inflammati caritate, sed spiritalis ignis instar diuino amore semper ardent, & simul eodem accendunt, & illustrant Angelos sibi inferiores. Deinde contemplare Cherubinos, ita vocatos, ob plenitudinem scientiæ, maiusque lumen intelligentiæ, quo excellunt omnes reliquos inferiores spiritus, eò quod clarius Deum videant, & in eo plura cognoscant. Quare sūt velut Consiliarij Regis cœlestis, clari scientia & sapientia, quam etiam communicant Angelis inferioribus. Contemplare post hæc Thronos, qui velut familiares & intimi Dei secretarij hoc nomine ornati sunt, quod sint quasi sedes & throni regij, in quibus quodammodo residet & quiescit diuina Maiestas, quam etiam, quocun-

quocunque vadunt, quasi in sede Pötificia, secum deportant. Descende deinde ad secundam Hierarchiam, quæ continet alios tres Angelorum choros, Dominationum, Virtutum & Potestatum, qui singulatim vniuersali gubernationi horum inferiorum sunt attributi. Et primo contemplare Dominationes, quæ representantes supremi Principis dominium, regionum Præsulum more, inferioribus suis imperant, & in diuinis mysterijs ad gubernationem orbis emittunt. Secundò contemplare Virtutes, quæ sua potentia & vi adumbrantes infinitam potentiam Domini virtutum, omnia ardua & difficilia exequentur, mirabileſq; effectus in creaturis ad Dei gloriam operantur. Tertiò contemplare Potestates, qui instar iudicum repræsentant authoritatem & potestatem summi & vniuersalis Iudicis, officiumque habent aëreas potestates coercendi, omniaque impedimenta & molestias ab hominibus remouendi, ne eis aditus ad salutem intercludatur. Descendendo denique ad tertiam & vltimam Hierarchiam, in qua continentur tres alij chori, Principatus, scilicet Archangeli & Angeli; contemplare primò principat⁹, ita appellatos, quod, sicut hæc extrema Hierarchia à Deo constituta est, ad exequenda diuina iussa erga creaturas, ita Principatus, qui sunt Angeli pri-
mi

mi chori, quoniam repræsentant supremū
 Principem, præpositi sunt gubernationi di-
 uersarum prouinciarum & regnorum par-
 ticularium. Hi quoque, vt præcipui, quem-
 admodum à Deo immediatè mandata acci-
 piunt, ita eadem alijs Angelis inferioribus
 committunt, & auxilium etiam præbent ad
 ea præstanda. Sequuntur deinde duo alij
 Archangelorum & Angelorum, qui conue-
 nienter nomini suo, sunt velut legati & nū-
 cij à Deo in mundum varijs de causis emis-
 si, atque etiam custodiendis certis locis &
 hominibus adscripti. Nec aliud discrimen
 inter hos duos choros est, quam quod Ar-
 changelis maiora, Angelis minora commit-
 tantur. Atque hoc totum est illud exiguum,
 quod nos de diuina illa architectura, & or-
 dine domus Dei intelligere possumus. Quod
 si acies intellectus nostri longius progredi
 posset, & penitus inspicere naturam & fun-
 ctionem cuiusque Angeli, deprehenderet
 eos, sicut singularia singuli officia & ex-
 exercitia habent in superna Hierusalem, ita
 singulari quoque ordine suo omnem il-
 lam beatam aulæ cœlestis multitudinem
 mirificè exornare. Etenim quemadmo-
 dum videmus hoc nostrum spectabile cœ-
 lum tot stellis ornatum, & secundum nu-
 merum planetarum, in orbes distinctum,
 mirabili ordine moueri, & vim suam in
 Gg terram

terram subiectam exercere: sic cœlum il-
 lud spirituale & inuisibile, ordinemã-
 gis admirando & diuino tot angelorum,
 quasi stellarum varietate ornatum est, per
 quos Dominus vniuersitatis, tanquam per
 totidem planetarum orbis omnes donorum
 & charismatum spiritualium influxus in hu-
 manũ genus deriuat. Ergo age anima mea,
 10. si Regina Saba audita sapientia Salomonis,
 & conspecta regij palatij magnificentia, nu-
 meroque & ordine ministrorum illi infer-
 uientium, ob summam admirationem pru-
 dentia sapientissimi Regis attonita, non ha-
 bebat, vt loquitur scriptura, *vltra spiritũ*, di-
 xitq;: *Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant*
coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.
 Quanto magis tu occasionem haberes non
 tam admirandi cum illa Regina, quam cum
 bono illo Propheta deficiendi præ deside-
 rio & amore beatæ habitationis, si posses
 perfectè intelligere dignitatem, & excellẽ-
 tiam, & ordinem aulae veri Salomonis, quã
 sua æterna sapientia & arte constituit & or-
 dinauit. Quæ consolatio, quod gaudium,
 rogo, tibi esset, si post huius vitæ cursum ti-
 bi quoque illa fœlicitas contingeret, vt vnã
 cum cœlestibus illis spiritibus aulicis age-
 re possis tanti Domini, cui *seruire, regnare*
est. O Sancti & puri angeli, o verè beati, qui
 perpetuo diuino conspectui assistitis, &
 tanta

tanta cum lætitia faciem illius cælestis Salomonis inspicitis; à quo tanta ornati estis sapientia, tot ditati prærogatiuis, & digni effecti tanta gloria. Vos stellæ lucidæ, quæ tam fæliciter splendetis in cælo Empyreo, infundite quæso in animam quoque meam beatos vestros in fluxus, seruate fidem meam immaculatam, spem firmam, mores inculpatos, amorem integrum in Deum & proximum. Oro vos angeli beati, vt auxilio vestro quasi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primum institistis, vt post hanc vitam vnà vobiscum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locum alicuius stellæ olim per superbiam de cælo elapsæ.

DE ANGELIS
SPECIATIM.

PARS POSTERIOR.

VERVM post contemplationem Angelicarum Hierarchiarum, dignum est, vt aliquid quoq; contemplemur de inuictò illo cælestis exercitus Duce Sancto MICHAËLE Archangelo qui ob egregium suum zelum, & fidelitatem à DEO Princeps constitutus est omnium illorum Angelorum, qui ad diuersa ministeria in

mundum amandantur. Fuit quoque beatissimus Michael hoc nomine, quod interpretatur, *Quis ut DEVS*, honoratus; nam cum superbus Lucifer elatus fuit aduersus Deū, eiq; similis fieri voluit, fortissimus hic Archangelus, non ferens tantam Domini sui iniuriam, ardentissimo zelo flagrans exclamauit, dicens, *Quis ut DEVS? Quis ut DEVS?* hoc est, quis tam audax, tam potens est, ut audeat se assimilare DEO? atq; si diceret. Non est, siue in cœlo, siue in tota vniuersitate, creatura aliqua similis DEO nostro. O fortissime Michael, hoc nomine verè dignissime, benedictus sis inter omnes angelos, & omni laude & honore dignus inter homines, quia ita fidelis fuisti & zelosus in vindicanda DEI gloria. Hic gloriosus Archangelus nō solum in triumphante, verum etiam militante Ecclesia fuit à Deo multis dotatus priuilegijs. Nam primo in veteri Lege factus est protector & custos Synagogæ, in noua verò princeps & defensor Ecclesiæ DEI. Hic est præpotens ille Dux & Capitaneus, cuius ingentem animum & fidelitatem sectatus, totus bonorum Angelorum exercitus virulenti illius serpentis audaciæ se obiecit, & obruto eius capite, victoriam obtinuit, eumque præcipitem de cælo egit, cum omnibus suis asseclis. Adhæc, quotiescunque opus fuit aliquo

Apec. 12.

aliquo cœlesti auxilio, & pro salute fidelis
 populi pugnandum, semper præsto adfuit *Exod. 7.*
 inuictus Michael. Hic enim in Aegypto pro
 DEI populo depugnauit, quando per mul-
 ta signa & miracula è Pharaonis seruitute
 liberatus est. Hic est, qui horribili illa no-
 cte, omnia Aegypti primogenita percussit.
 Hic est, qui per quadraginta annos tanquam
 Capitaneus & Dux filios Israel antecédens,
 in mari rubro exercitum Pharaonis illos
 persequentem demersit: deinde occidit, &
 excidit tot gentes & exercitus illi repug-
 nantes, ac denique saluos & incolumes per-
 duxit in terram à Deo promissam. Post *Deut. vi.*
 mortem quoque Moylis, cum callidus dæ- *Iudas in*
 mon conaretur populum Dei ratione sacri *epist.*
 eius corporis inducere in idololatriam, hic
 fortis Archangelus zelo honoris diuini ar-
 denti & salutis populi, validè se illi oppo-
 suit, eumque in fugam coniecit. Hic deni-
 que, Israelitico populo dum captiuus in
 Babylonem abductus est, tempore captiui-
 tatis exacto, manum auxiliarem porrexit,
 omniaque impedimenta liberationis re-
 mouit. Quamuis verò in quibusdam locis
 & actionibus iam recitatus non sit nomen
 Michaelis expressum, tamen quia ille à Deo
 constitutus est protector & custos illius po-
 puli, certò credi potest, illum ipsum, vel
 certè alios angelos ex commissione ipsius

interuenisse. Præterea hic gloriosus Archangelus, supra generalem protectionem Ecclesiæ sanctæ quam sustinet, habet specialem quoque functionem sibi demandatam, omnes iustorum animas recipiendi, qui ex hac vita ad alteram demigrant, easque insidijs & oppugnationibus dæmonum ereptas tribunali CHRISTI præsentandi, vt consequantur præmium, pro meritorum ratione illis à Deo attributum. Deinde in fine & consummatione huius mundi fortissimus quoque hic Archangelus apparebit ad bellum iucundum cum Antichristo, qui confectis miraculis fideles peruertere conabitur, vt Ecclesiam DEI aduersus terribilem illam persecutionem tueatur. Post obtentam autem victoriam, & Principem tenebrarum in puteo abyssi infernalis alligatum, ipse Archangelus horribilem illam tubam inflabit, ad cuius sonum omnes mortui resurgent, & æterno iudici sistentur, extremam sententiam audituri, qua iusti æternæ gloriæ, peccatores autem perpetuis supplicijs addicentur. Tunc non erit amplius locus vel tempus misericordiæ aut gratiæ, sed tantum serenissimæ DEI iustitiæ; omnesque iusto Dei iudicio adiudicabuntur loco, quem quisque in hoc mundo degens promeruerit. O inuicte Princeps, & custos fidelissime Ecclesia

Fig. 4.

Ecclēsiæ DEI, animarumque fidelium, qui
semper tanta caritate, & loque tot pugnis
interfuiti, tantasque ex hoste victorias re-
tulisti, non ad conciliandam tibi famam
& existimationem, vt solent Duces huius
sæculi, sed ad conseruandum, tuendum-
que honorem & gloriam, quam omnes
DEO debemus, deinde ad salutem hu-
mani generis promouendam; veni, quæ-
so, in auxilium animæ meæ, quæ con-
tineret cum tanto periculo à suis inimi-
cis, carne, mundo & dæmone impug-
natur; & sicut Dux fuisti populo Israhel
per desertum, sic quoque velis esse fidelis
dux & comes meus per desertum huius
mundi, donec securè me perduxeris ad fœ-
licem terram viuentium, ad beatam illam
patriam, à qua omnes exulamus. O anima
mea, vtinam quando aderit vltima hora
profectionis tuæ, terroris & discriminis
plena, cum à corpore tantopere amato co-
geris discedere, solaque & nuda angustissi-
mam mortis portam, per tot infestas in-
fernalium draconum, capitalium hostium
tuorum; acies transire, qui te instar
famelicorum leonum rugientes circum-
dabunt, ad te rapiendum & deuoran-
dum parati; vtinam, inquam, illo tem-
poris puncto hic inuictus Archangelus,
vti semper promptus fuit in omnibus

animarum fidelium periculis, tibi quoque cum honorata sua cohorte dignaretur subuenire, & pro te pugnare, & fortissimo protectionis suæ scuto efficere, vt securos per medios hostes in patriam celestem euadere posses. Quod si etiam ante seuerissimi iudicis tribunal tui patrociniū susciperet, pro te respondendo, suisque precibus peccatorum tuorum veniam obtinendo, & denique te sub suo victrici vexillo receptum perduceret ad sanctam illam beatamque lucem, qua ipse cum omnibus Angelis & electis filiis lucis refulget cum sempiterno gaudio & gloria Creatoris, quanto cum solatio & lætitia cordis ex hoc mundo excederes?

6. Post gloriosum Principem Michaellem cōsidera dignitatem & præstantiā prerogatiuorum Archangeli GABRIELIS, qui licet in scripturis vocetur Angelus, non ideo existimandum est, eum fuisse ex infimo Angelorum ordine, qui peculiariter mittuntur in auxilium & ministerium hominum, sed fuisse Angelis superiorem, nempe Archangelum, & inter Archangelos primum. Nam sicuti mysterium ad quod annunciandum ille venit, non fuit commune, sed excellentissimum, dignissimumque ex ijs quæ vnquam DEVS exhibuit, ita cogitandum est diuinum hunc legatum fuisse vni ex nobilissimis in illa Hierarchia comprehensis

hensis. Hic est fidelis cœlestis sp̄si amicus,
qui factus ab eo conscius altissimi illius
secreti de sua Incarnatione, primus illud
mundo patefecit. Hic est ille gratosus pa-
ranymphus, qui mediator fuit inter altissi-
mum Deum, & humilem virgunculam, de
Nazaret, inter Verbum æternum & nostrā
naturam humanam. Iam ad melius intelli-
gendam huius Archangeli dignitatem, cōsi-
dera sigillatim officia à Domino illi com-
missa. Et primo, vt quidam sancti affirmāt,
piè credi potest, illum in singularem custo-
dem beatissimæ virgini attributum. Ac sic-
ut DEVS aliam puram creaturam neque
in cœlo neque in terra habuit nobiliorem,
& quæ ipsum impensius amat, MARIA
Virgine: sic cogitare potes, sicut Principes
huius mūdi res sibi carissimas custodiendas
dare solent aulicis fidelissimis, sibi que ad-
dictissimis, sic in illa cœlesti aula gloriosū
Gabrielem meritò inter meliores & cario-
res apud Regem cœli numeratum fuisse.
Considera deinde alterum huius beati Ar-
changeli officium, quod erat, esse Legatū à
Sanctissima Trinitate missum pro negotio
sublimi & maximi momenti, nempe pro in-
carnatione vnigeniti filij Dei, & redemp-
tione ac salute totius mundi. Quare optimè
in eum conuenit nomen Gabrielis, nomen
mysterij plenum, quod interpretatur, VIR

G 5

DEVS:

DEVS: nam CHRISTVM annunciauit mundo, qui simul futurus erat DEVS & Homo. Deinde hoc nomen Gabrielis, magis propriè idem est, quod, *Fortitudo DEI*, idque ad denotandum idem mysterium, quod annuntiabat mundo, nempe fortissimum & triplicatum funiculum, id est arctissimam diuinæ naturæ vnionem cum corpore & anima sanctissima Christi in vna hypostasi, & æterni verbi persona, sicut scriptum est, *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Dicitur quoque fortitudo Dei quia legationis suæ beneficio diuinam fortitudinem nobis communicauit, hoc ipso quo Deus cum humana natura nostram quoque imbecillitatem assumpsit. Vnde homines beneficio huius fortitudinis facti sunt ita animosi & fortes, vt multa fecerint quæ omnem fortitudinem, viresq; humanas excedunt. Angele verè fortis, quia legatione tua hominibus non solum diuinum robur attulisti, verum etiam ipsum Deum omnium fortissimū, qui ablatiis spolijs, & forti armato profligato, qui tanto tempore diram in nos tyrannidem exercuerat, nos è seruitute vindicauit, & filiorum Dei libertati restituit.

Ecc. 4.

Luc. 4.

7. RESTAT nunc post consideratum zelum, factaque Principis Michaelis illustria, & mylticam Archangeli Gabrielis
for.

fortitudinem, ut consideremus quoque officiosam caritatem angeli Raphaelis, qui cū ^{Tob. 12.} sit, ipso teste, vnus è septem spiritibus in conspectu DEI semper assistentibus, probabile est illum esse vnum ex præcipuis angelis paradisi. Et ex consequenti considerabimus multa beneficia quæ quisque tam in corpore, quam in anima recipit à suo angelo custode. Nam hic gloriosus Raphaël tum ratione nominis sui, tum officiorum misericordiæ quæ ille detulit vtriq̃ue Tobix, seni & iuueni, omnino suit typus & figura luculenta eorum, quæ faciunt erga nos angeli custodes. Et primò aptissimè in illū ^{Tob. 6.} competit nomen Raphaelis, quod interpre- ^{et 11.} tatur, *medicina Dei*, ab effectu medicinæ tam spiritalis iuueni Tobix datæ, quàm corporalis qua seniori Tobix Patri visū restituit. Quo verò alio officio fungitur erga te Angelus custos, nisi medici tam corporalis quam spiritalis? ut inferiùs dicitur. Quare ut id meli⁹ intelligas, considera tres esse humanæ vitæ status. Primus est quo homo adhuc degit in vtero matris. Secundus, à tempore natiuitatis, vsque ad mortem, & iudicium animæ suæ particulare. Tertius est, in quo homo versatur post mortem. In vnoquoque ergo horum statuum, congruenter omnibus actionibus Raphaelis Angeli, contemplare singula officia quæ custos

stos

Istos Angelus erga te exercet. Quod ad primum statum attinet, narrat Scriptura, cum senior Tobias cogitaret filium suum in remotam regionem mittere, sollicitum fuisse de fido comitatu ei attribuendo. Et ecce, antequam bonus iuuenis domo paterna pedem efferret, Angelum à Deo missum, specie humana, se offerentem in comitem atq; etiã in ducem totius itineris. O caritas imensa, & cura plus quam paterna creatoris, qui antequam è ventre Matris prodires, priusquam vllam inimicorum tuorum & periculorum impendentium notitiam haberes, mandauit vni beatorum spirituum, qui semper diuinam eius faciem contemplantur, atque illi ipsi, qui primus Matris tuæ custos fuerat, vt tui curam susciperet, inciperetque te in tenello illo statu multis periculis obnoxio vnà cum Matre præseruare, quo sine impedimento vllò, secure ad gratiam baptismi peruenire posses, & in filiorum Dei numerum inscribi. Sed quid dico ego, de cura & memoria à Deo habita pro te adhuc in vtero materno exilente, imò ab omni æternitate, antequam angelos, vel aliud quicquam condidisset, cum nondum essent abyssi, nondum locata essent fundamenta cœli & terræ, iam ô homo miserabilis tui memor erat & de tua salute sollicitus. Et quanquam ab
 æter.

æterno tuam ingrâtitudinem & indignitatem præuidit, nihilominus ex mera bonitate sua, nullo tuo antegresso merito; non solum decreuit tibi illud auxilium præstare, sed etiam omnia beneficia in te conferre, quæ huc vsque à primæ tuæ conceptionis momento recepisti, & deinceps vsque vd vltimum, omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem es recepturus.

8. DEINDE quod ad secundum statum vitæ tuæ attinet, cum in lucem huius vitæ prodijsti, subiungit scriptura sacra quemadmodum Angelus Raphael egressus cum Tobia è domo Patris, promiserit se fidelem eius comitè toto itinere futurum, saluum-
 que ad locum destinatum perducturum. *Tob. 5.*
 Non secus Deus te, simulatque natus es, cum vno horum cælestium ciuium comitatus est, vt tanquam singularis custos, & pædagogus tui patrocinium susciperet, tuumque aduocatum apud suam Maiestatem in cælo ageret. In hac enim vita omnes sumus velut pueri, opusque habemus tutore & pædago-
 go, qui quasi manu nos ducat & sustentet, *Gallat. 4.*
 ne fortè pedes nostri in aliquam petram peccati impingant, aut graue aliquod periculum adeant: qui quoque nos in brachia sua excipiat, vt securè loca periculosa transeamus, nec ante periculum animad-
 uerta-

uerta-

Tob. 6.

uertamus, quam euaserimus. Secundo, sicut angelus Raphaël ducens iuuenem Tobiam per viam, optima consilia illi suggerbat; instruebatque sigillatim, qua ratione matrimonium inire deberet, nempe non hominum carnalium more, sed cum sancto timore Dei, crebraque oratione: sic Angelus tuus custos continenter tibi bona consilia suppeditat, & in omnibus actionibus dirigit: ille enim te excitat & impellit ad multa bona opera facienda, quæ sine hoc auxilio non faceres, idque nunc alliciendo CHRISTI Domini & Sanctorum exemplo, nunc tuam voluntatem consideratione bonitatis diuinæ, infinitorumque eius beneficiorum inflammando, nunc etiam futuri iudicij, pœnarumque inferni memoria mentem illuminando, Tertio pergit Scriptura narrare beneficia, quæ Tobias ab Angelo Raphaële, tam quoad suam personam, quam quoad bona temporalia, recepit. Cum enim peruenisset ad fluuiū Tigris, & in eo vellet lauare pedes suos, in filij in eū piscis immanis ad eū deuorandum: sed angelus eum defendit, & ab eo periculo liberavit, voluitque vt fel eius acciperet ad restituendam cæco parenti sanitatem. Adhæc idem Angelus non solum redemit pro Tobia summam illam pecuniæ, ob quam erat missus, sed hæredem quoque eum fecit omnium

Tob. 6.

omnium facultatum foci sui Raguelis. Jam quid aliud agunt Angeli nostri custodes, nisi ut continenter, ad auxilium nobis præstandum in necessitatibus nostris vigilant, haud secus ac mater intentos semper oculos habens in puerulum suum, ne fortè labatur, aut mali aliquid faciat. Cogita igitur à quot periculis corporalibus te præseruarit, quæ æquè ac alij, incurrere potuisses, atque etiam quam fuerit sollicitus in procurandis tibi bonis temporalibus: ut sanitate, viribus & alijs adiumentis, ut vitam conuenienter statui tuo instituere posses, atque illi statui, qui ad salutem consequendam tibi esset accommodatior.

Q V A R T O, sicut Angelus Raphaël (ut ipse dicit) officium sibi vindicabat, orationes, bonaque opera Tobia Deo offerendi, sic angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris in conspectu Dei offerendo orationes tuas & desideria, & qualiacunque opera bona, quæ facis, semperque à Deo aliquod donum gratiæ diuinæ ad te referendo. Vtinam videre fas esset, quanto studio angeli sancti nunc ascendant, nunc descendant pro nobis, ut faciebant in scala à Iacob Patriarcha conspecta, ascendunt exponendo necessitates nostras, precandoq; Deum ut diuinam suam misericordiam nobis impertiat: descendent autem

Tob. 12.

Gen. 28.

autem

1. Cor. ii.
Tob. 8.

autem, reportando à Patre cœlesti sanctas
inspiraciones, cogitationes bonas, aliaque
diuina auxilia, & interdum etiã correctio-
nem aliquam paternam, vt excitet nos, nos-
que ipsos exploremus, ne simul cum hoc
mundo cõdemnemur. QVINTO, sicut an-
gelus Raphael Tobiam docuit modum, quẽ
tenere debebat ad exterminandum dæ-
monium, vt non haberet amplius potestatem
in ipsum; contra quẽ etiam ipse angelus pro
iuuenis defensione pugnavit: sic angelus no-
ster custos non aliter quàm fidus Capita-
neus, cui commissa est arx aliqua aduersus
hostes defendenda, diligenter vigilat, ne vi
vel fraude ab illis occupetur. Hi enim An-
geli sunt fideles illi custodes, quos Domi-
nus dicit collocatos in muris Hierusalem
ad custodiendum per vigilias noctis gregem
suum, ne lupo ille infernalis aduersarius
noster, instar leonis, animas nostras abri-
piat. Ad hos quoque custodes angelos per-
tinent illa verba Apocalypsis. *Esto vigilans,
& confirma.* Vigilat enim angelus custos pro
nobis contra dæmonem, obijciendo se ei-
us incursum, frangendo & debilitando ei-
us vires; & acceptam reparando iacturam, ne
amplius tanta confidentia & audacia inua-
dere audeat. Confirmat quoque nos, nunc
remouendo peccatorum occasiones, nunc
à multis vitijs & peccatis deterrẽdo, in qua,
desti-

Apoc. 3.

destituti ei⁹ auxilio, facilè incideremus, nūc
 etiam corroborando nos & animando in
 occurrentibus tentationibus & afflictioni-
 bus, ac deniq; à Domino impetrando for-
 titudinem ad victoriam obtinendam **S E X-**
T O, sicut Angelus Raphael dæmonem, ne
 Tobiam, velut omnes reliquos mulieris
 maritos, occideret, comprehensum alliga-
 uit in deserto: ita noster bonus Angelus sin-
 gulariter nobis tempore mortis assistit, vt
 illa hora ab insidijs & impugnationibus dæ-
 monis nos tueatur, & immunes reddat, qua
 acrius, quàm aliàs solet, circuire quærens
 quem deuoret: deinde vt à peccatis illis, qui-
 bus id temporis maximè obnoxij esse sole-
 mus, vt infidelitatè, & desperatione nos præ-
 feruet; atque ita ex miserijs huius mundi li-
 beri ad cœlestem patriam migrare possi-
 mus. Ad hæc postquam anima è corpore ex-
 cessit, idem angelus eam comitatur, solatur,
 animat vt confidenter se tribunali diuino
 sistat; obijciens eius oculis merita **I E S U**
Christi pretiosissima, in quibus tempore il-
 lius iudicij fidere debeat. Si autè ad expian-
 das peccatorum reliquias adiudicata fuerit
 Purgatorio, ibi eam sæpe inuisit, solatur,
 certiolem reddit de precibus piorum pro
 ea in mundo fufis, & deniq; de futura libe-
 ratione securam esse iubet.

9. **Q V O D** ad tertium, eumq; extremum

Hh

tuum

Tob. 6.
v. 10.

tuum statum attinet, considera quid denique angelus Raphaël fecerit quomodo videlicet, cum coniugem iuueni Tobiae assignasset, omnibusque sui soceri bonis dirasset, multis donis & opibus onustum eum in domum paternam reduxerit: vbi tanto maiore gaudio receptus est, quanto maior erat maestitia de eius reditu retardato, metuentibus omnibus ne forte periisset. Hic simul contemplare tui fidi custodis officium, qui animam tuam postquam confecta longa & periculosa peregrinatione ab omni macula expurgata fuerit, cœlesti sponso per cœlestem paranymphum coniunctam, multisque donis & diuinis charismatibus ornatam ac totam hilarem & lætam conducet ad cœlū,

Galat. 4.

ad illam supernam Hierusalem matrem nostram, ibique magno gaudio & exultatione omnium paradisi angelorum & sanctorum, à quibus multo ante fuerat expectata, cœlestis Patris conspectui præsentabit, ut diuinitus eius manibus recipiat coronam gloriæ, & felicitatis eius, quæ ab æterno ei præparata fuit, & pro qua nos miseri adhuc ingemiscimus, & suspiramus in hac lachrymarū valle. O millies beata anima, quæ postquam suo Creatori fidelis extitit, bonisque sui Angeli custodis consilijs paruit, post annos vitæ suæ laudabiliter exactos, ab eodem Angelo in beatam illam patriam, in illa æter-

Rom. 8.

na illa

na iustorum tabernacula introducetur. Ibi celebrabuntur veræ nuptiæ agni cum sua dilecta sponsa, ibi plena erit lætitia, perfecta pax & quies sine fine. Sed tu anima mea, quæ per omnium vitam tuam non aliud prestitisti, quàm offendisti Creatorem tuum, bonumque Angelum custodem merore affecisti, quod solatium illi erit in te deducendo in conspectum Patris tui? & tu qua fronte auderis comparere coram illo? Heu Deus an ergo mihi desperandum est? non certè *Luc. 15.* Cum enim misericordiæ tuæ non sit numerus, & in persona illius boni Patris Evangelici tanta caritate filium poenitentem receperis, plane confido, me, si de antea acta vita dolens & poenitentiam agens ad te Patrem meum reuertero, non eiectum, sed receptum à te misericordissimo Patre iri, si non ut filium obsequentem, saltem ut poenitentem. *Psal. 115.* Iam verò quid retribuere poterimus Domino pro talibus & tantis beneficijs à sua Maiestate receptis? quicquid enim debemus beatis spiritibus, quorum opera hæc beneficia nobis contigerunt, id totum debemus Creatori, qui angelis mandavit, ut nos custodirent in omnibus vijs nostris, quanquam ipsis quoque angelis custodibus, ob immensam eorum in nos caritatem, fidumque ministerium demonstratum maximas gratias debeamus. *Psal. 90.* Et primo quidem Angelo tuo

nomine assistentię perpetuę, debes honorę,
cultum, & reuerentiam, cauendo ne in eius
conspetu facias, quod non faceres in præ-
sentia cuiuscunq; hominis te superioris: ac
væ tibi, si hic Angelus sanctus, tuis peccatis
& negligentijs offensus, te sua præsentia, an-
gelicęq; visitatione reputauerit indignum.
Præter hæc multæ sunt virtutes, quæ ange-
lis Sanctis placent, quasque optant in ani-
mabus nostris videre, atq; illis consequen-
dis omne studium merito adhibere debe-
mus. Eæ sunt, sobrietas, castitas, paupertas
voluntaria, frequētes gemitus cum lachry-
mis deuotis, & oratione feruenti: sed super
omnia, vnio, pax, & fraterna caritas: eæ sunt
virtutes, quas imprimis angeli pacis à nobis
postulant. O anima mea, ô imago creatoris
pulcherrima, vtinam tuam dignitatem ag-
nosceres, quantum amata sis à Deo, quanti-
q; ab Angelis æstimata; non dubium, quin, ad
non inferendam amplius iniuriam illi, qui
tantoperè te honorauit atq; ad non contri-
standum tuum fidelissimum custodem nõ
amplius tam facilè sis peccatorum fece &
sordibus te cõtaminaturus, Nam si tantum
gaudium est in cælo apud omnes angelos
pro vnus peccatoris conuersione, cogita
quanta mæstitia afficiatur bonus tuus An-
gelus, dũ videt te per peccatum spoliari di-
uina gratia: Si enim sanguinem vel vitam
ha-

Genes. 1.

Matt. 28.

haberet, quam profundere posset, libenter ad imitationem Domini pro tua salute profunderet. Age ergo vt illis potissimum te exornes virtutibus, quę exhilarant angelos, & Creatorem glorificant, vt ex his pretiosorum meritorum seminibus, conuenienter virtutibus angelicis, fructum dulcissimum similem ipsorum Angelorū præmio colligere possis.

COLLOQVIVM,

ORABIS Deum Dominum nostrum, vt sicut ille tam mirabili ordine in hominum gratiam distribuit Angelorum suorum officia & ministeria, ita tibi quoq; cōcedere dignetur, vt ab omnibus illis beatis spiritibus, semper diuinę eius Maieitati assistentibus in cęlo, & seruientibus, tua vita continenter custodiatur, & à crudelibus tuis inimicis defendatur. Et sicut illi tam copiosum gratiæ donum concessit, sic velit per eorum orationes tibi quoque concedere gratiam, eorum humilitatem, caritatem & puritatem imitandi; vt in terra ducens vitam angelicam, merearis aliquando similis angelis reddi in cęlis, & cum iisdem optata gloriosi Dei visione in æternum perfrui & gaudere.

- 1.** **D**ominus dicit, nisi efficiamur sicut paruuli non ingressuros nos in caelum: nam vt ipse alibi dicit. Talium enim est regnum caelorum. Quare si saluari volumus, conuenit nos paruulorum habere proprietates talibusque vt moribus, qualibus illi in illa et aetula vtuntur. Paruuli simplices sunt, malitia expertes & fraudis, puri sunt mente, & corpore, honorem vel dedecus non estimant iniuria neminem afficiunt, illatam non vindicant, non contendunt cum quouam, omnibus cedunt, denique timet suos maiores, facileque illis se submitunt. Atque haec sunt virtutes Christianae, quas ipse Christus professus & imitandas docuit, cum dixit, Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, in quibus duabas virtutibus omnes dictae proprietates continentur.
- Matth. 19.**
- Matth. 11.**
- Rom. 8.** 2. Dixit quoque Dominus: Qui humiliauerit se sicut paruulus iste, erit maior in regnum caelorum. Quam bene ergo dixit Apostolus sapientiam carnis inimicam & contrariam esse sapientiae Dei: in mundo enim illi putantur maiores, qui honoris, & existimationis suae statum & gradum diligenter tuentur, quos Deus nihili facit. Contra vero, qui rationem honoris sui non habent, & conantur se demittere, omniumque pedibus subiacere, verè sunt in conspectu Dei magni, & in caelo etiam alijs erunt maiores, secundum dictum sapientis. Quanto maiores, humiliate in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.
- Ecl. 3.**
3. Quanto minorem homo se fecerit alijs, tanto reddetur maior: quia quò quis humilior est, hoc similior

milior & vicinior est Christo, qui est supra omnes. Quod si ita sit, non deberent Christiani, & homines spirituales inter se contendere de primo loco, & honoris prerogatiua, sed potius de loco ultimo.

Qui enim optat primum locum obtinere in terra, inueniet suum pudefactum in caelo. Ne ergo studeamus videri maiores alijs, sed potius faciamus nos inferiores omnibus, non enim iustior aut melior est, qui honoratior, sed potius quo quis iustior hoc maiore honore dignior.

4. Si tanta reuerentia deferenda est sanctis angelis custodibus, ut sicut Dominus commendat propter illos neminem pusillorum contemnere debeamus, & similiter Apostulus consulebat mulieribus, ut capita sua tegerent, ne forte vanitate sua vel indecentia offenderent Angelos salutis hominum promouenda cupidos: quanto potius cauere debemus, ne iniuria, vel alia noxa grauiori offendamus proximos nostros, siquidem offendendo illos, offendimus quoque ipsorum angelos, qui velut amici & intimi Deo domesticici, exigent contra nos vindictam, vel proculdubio obtinebunt.

5. Etsi angeli tantam auram & studium adhibeant in hominum custodia, nunquam tamen mente cessant contemplari Patris caelestis faciem, nec a diuino amore deuelluntur: nam cura & sollicitudo, qua tanguntur propter nos, subordinata est ipsi amori, & propter amorem Dei ab ipsis suscepta est: Sic homines pie & spirituales, dum curis & occupationibus externis destinentur, procurare debent, ut ille non solum non impediatur interna exercitia, sed etiam promoueant ad fructum spiritalem & rerum diuinarum contemplationem. Quod effi-

eueniet; quando sanctorum angelorum exemplo, efficient vt actiones externa procedant, & efficaciam suam sortiantur ab internis, ab his ordinentur, & dirigantur, id est, vt non alio sine, quam ex puro Dei amore suscipiantur.

6. Qui curam habent homines adducendi ad pœnitentiam, non debent vnquam à cepto destitute, ob fastidium laboris, aut quia vereatur rem non habituram optatum exitum in illis, quos spiritualiter iuuare volunt: sicut suo exemplo nos docuerunt custodes Angeli, qui nunquam curam & custodiam peccatorum deserunt, etiam si diuinitus cognouissent, eos quorum curam habent, nunquam cessant eos quamdiu in hac vita sunt, & in statu, quo per pœnitentiam ad Deum redire possint ad emendationem exstimulare.

7. Seneca Philosophus gentilis, scribens ad amicum quendam suum. monet eum, vt si in actionibus sermonibusq; suis à recto discedere nolit, cogitet sibi semper Catonem tanquam seuerum Censorem assistere. Quo documēto multo magis nos Christiani uti deberemus, cogitareq; in omnibus actionibus nostris semper præsto adesse Angelus custodes, vi seueros cēsores nostros, idq; eo fine, vt ista cogitatio reddat nos memores nostri, ac sedulo expendamus quicquid agere vel dicere volumus: si enim aliter fecerimus, verendum erit, ne qui sunt iam aduocati nostri apud Deum. postea in die iudicij sunt nostri accusatores.

F I N I S.